



1668

The image shows the front cover of a book. The cover is decorated with a traditional marbled paper pattern, often referred to as a 'stone' or 'shell' pattern, featuring irregular, organic shapes in various shades of brown, tan, and cream. A small, rectangular white paper label is affixed to the upper left corner of the cover, displaying the number '1668' in a bold, black, serif font. The spine of the book, visible on the left edge, is bound in a dark, textured material, likely black leather or cloth.



EX-LIBRIS

Dr. med. &
George Meyer.





13471

Smann. Med. Lat. Syst. Tom-1.
Cap. 1. §. 13.

Postquam Graafius partes genera-
tioni utriusq; sexus inservientes
accuratius perstravit; ab hoc tem-
pore ii morbi, qui sedem suam ac
comitium ibi habent, sensui et in-
tellectui jam facillime patent.

angeb.

Ferneli, Joh.: Pathologiae. Liber 4.
De febris.

P. De Грааф.

Дослідження живих
дитородних органів. Про
використання клістера та
трубки (сифона) в анатомії.
Хаккіана, 1668

JOANNIS FERNELII
PATHOLOGICÆ

Liber Quartus

DE

FEBRIBUS

*Aphorismorum de febribus loquentium
explicatio, & prædicendi, curandi-
que ratio singulis febribus
adjecta.*

à

RUTGERO LOENIO

Doctore Medico & Professore
Philosopho.



AMSTELODAMI,

Apud *ÆGIDIUM VALKENIER*, Biblio-
polam. Anno c^o Ic Lxiv.

ll. S. P. ...

Fernelius forum et sedem febrium, tam putridarum, quam intermittentium in prima corporis regione rectius posuit, et unquam causam in sanguine ctudo, qui in venis, quae ad ventriculum, jecur, lienem, pancreas, omentum abeunt, i. e. vena porta, vehit, haerere judicavit. Negs minus à ventriculi et intestini notum nervis affectis, quia consentiant cum aliis partibus exquisitius sentientibus, in intermittentibus symptomata rigorem, horrorem, tussim siccam, ofitationem, anxietatem praecordiorum, distensionem, nauseam ac vomitum detravavit; quam sententiam etiam Carolus Piso plurimis observationibus corroborat.

D. T. O. M. A.

D. JOANNI. SCHRIECKIO. J.U.D.
AD. COLLEGIUM. ILLUSTRIMUM.
AC. PRÆPOTENTIUM. ORDINUM.
UNITI. BELGII. DEPUTATO.

D. BERNARDO. LESPIERIO. J.U.D.

D. CORNELIO. VOSSIO. J.U.L.

URBIS. DAVENTRIENSIS. CONSU-
LIBUS. MERITISSIMIS.

D. JACOBO. COSMANNO. J.U.D.

EJUSDEM. CIVITATIS. TRIBUNO-
PLEBIS. FIDISSIMO.

ILLUSTRIS. GYMNASII. DAVEN-
TRIENSIS. CURATORIBUS. PRU-
DENTISSIMIS.

ECCLESIAE CHRISTI. COLU-
MINIBUS. FIRMISSIMIS.

JUSTITIAE. VINDICIBUS. INCOR-
RUPTIS.

AVITAE. LIBERTATIS. PROPUGNA-
TORIBUS.

REIPUBLICAE. CATONIBUS.

CIVIUM. LÆLIIS.

PATRIAE. CICERONIBUS.

LITERARUM. ET. LITERATORUM.
MÆCENATIBUS.

HOC OPUSCULUM

SUL. A. LABORIBUS. ET. STUDIIS,
PHILOSOPHICIS. OCII. RA-

TIONEM.
SACRUM. FACIT.

VIRTUTUM. AC. DIGNITATUM. VE-
STRARUM. CULTOR. ET.
ADMIRATOR. DEVO-
TISSIMUS.

ATQUE. ILLUSTRIS. VESTRI. GYM-
NASII. PROFESSOR. PHI-
LOSOPHUS.

RETGERVS. DOENIS.

CHURCHEN. CURATORIBUS. PRU-

CHRISTE. COLLE-
GIIS. FIRMIS.

INDICIBUS. INCOR-

LIBERTATIS. PRODUCA-

REPUBLICAE. CATHOLICAE.

CIVILIS. LAELIS.

PATRIAE. CIGERONIBUS.

ET. LITERARUM.

MAGNATIBUS.

HOC

Candido,

Candido, atque benevolo

LECTORI.



Ernelium ut multis tibi
commendé benevole Le-
ctor, ne expectes, cui
enim ejus in scribendo integritas,
perspicuitas, brevitatis ignota est?
Quis ejus ingenium, eruditionem,
stylum satis potuit admirari? Quis
unquam ejus labores merito favo-
re, & honore profecutus fuit?
Omnibus, qui post discussam bar-
bariem suis scriptis Artem Medi-
cam illustrarunt, jure merito pal-
mam eripuit, eosque ingenio, &
arte ita exsuperavit, ut eos, non
aliter stellas exortus ut Æthereus
Sol exstinguit, plane obscurarit.
In addiscenda arte Medica ejus

scriptorum pathologicorum (physiologicis vero ob felicioris nostri seculi experimentorum, & observationum Anatomicarum defectum non ita multum standum) lectio mihi fuit per quam commodissima, atque utilissima. Ego certe ea tanti feci, & facio, ut vel jurare ausim me hactenus post Hippocratis, & Galeni scripta nullum Fernelianis par, ne dicam superius legisse. Ea & nocturna, & diurna manu versando, in succum & sanguinem converti, mihi que quasi propria reddidi. Quisquis acri studio, attentaque cogitatione expendit, atque æstimaverit eam, quam septem Pathologię libris, de affectibus, eorum causis, & signis, aliisque, quæ præter natu-

ram

ram in numanum corpus incidunt, proposuit tractationem, is facile percipiet, nihil eorū prætermissum esse, quæ ad perfectam rerum, & morborum cognitionem pertinent, conducuntque. Omnia quæ ab aliis diffusiori traduntur stylo, breviori, sufficiente tamen, formula & compendio comprehendit. Ostendit, quæ in humano corpore sedes primario laboret, quis in ea sit affectus præter naturam, unde is processit, utrum in ea sede genitus sit, an aliunde profectus, an denique causa aliqua interior eum foveat, hæc nisi quis comperta habeat, & quasi oculis cernat nullum unquam plane morbum cognitum, perspectumque habebit. Quam plurimi magna autoritate ingentia

volamina colligunt, & scribunt, sed quid præstiterint tempus, quod probata doctrinæ est index, eorum vero quæ vana, vel non magni momenti vastator, edocebit. Profecto ex omnibus scriptoribus recentioribus solus Fernelius duraturus videtur, reliqui abibunt.

A multis negligi, & præteriri solet, eo quod non pauca, quæ necessario ad artis Medicinæ complementum, facere videntur, in eo deficerent, quæ si addita fuerint & Græcam, & Barbaram Medicinam uni volumini inclusam habebis.

Ejus in hoc quarto pathologiæ libro, qui agit de *febris*, Specimen edo, singulis capitibus & marginalem analysin, & ea quæ deficere videbantur adjeci, singulisque febris

febribus & aphorismorum de febribus loquentium explicationem, & prædicendi, curandique rationem, adjeci: loca, quæ author noster, tum ex Galeno, Actio, Avicenna, aliisque respexisse in suis scriptis videtur annotata videbis. Hoc si tibi placuerit, brevi cum *bono Deo*, reliquos ejus libros pathologicos, cum suis additamentis exacta, interim vale & editis tuo bono frueri. Daventriæ clo Ioc
LXIV. XXIII. Februarij.

INDEX CAPITUM.

CAP. I.

Quid febris, quæ illius essentia, quæ signa. P. 2.

CAP. II.

<i>Februum differentie.</i>	4.
<i>Assignatio, & Explicatio Aphorismorum de febribus loquentium.</i>	8.
<i>Cur senibus non ita acutæ febres.</i>	8.
<i>Quid febris acuta.</i>	Ibid.
<i>Cur concocta, & non cruda medicanda.</i>	10.
<i>Quid concoctum. Quid crudum.</i>	Ibid.
<i>Quid turgere.</i>	11.
<i>Quartanæ æstivæ breves, autumnales vero longæ.</i>	15.
<i>Febrem convulsioni supervenire bonum.</i>	18.
<i>Corpus febricitantium sibi constare malum.</i>	20.
<i>Quando in febribus sudor expectandus.</i>	22.
<i>Quando fiunt febres acutæ.</i>	23. 24. 25.
<i>Quæ febres fiunt æstate.</i>	26.
<i>Quæ autumnis.</i>	27.
<i>Dentientium febres.</i>	27.
<i>Quæ febres accidunt grandioribus.</i>	28.
<i>Quæ adolescentibus.</i>	28.
<i>Quæ profectioribus.</i>	29.
<i>Cur excrementa nigra pessima.</i>	29.
<i>De eruptione sanguinis febricitantium.</i>	32.
<i>Rigores sexto die febricitantibus aborti.</i>	33.
<i>Febres, eadem, qua demiserunt hora, postero die redeunt.</i>	33.
	<i>Quid</i>

<i>Quid lassitudo in febribus designet.</i>	34.
<i>Quid sint buccæ.</i>	35.
<i>Difficilis obveniens respiratio.</i>	36.
<i>Colli detorsio & deglutitio difficilis.</i>	37.
<i>Qui sudores sunt boni, qui mali.</i>	38.
<i>Quid sudores frigidi designent.</i>	39.
<i>Febres non intermittentes periculosiores, inter-</i> <i>mittentes vero periculi expertes.</i>	41.
<i>In Febribus longis fiunt tubercula, & dolores.</i>	42.
<i>Quare oriantur tubercula.</i>	43.
<i>Quid frequens rigor in febre continuâ designet.</i>	44.
<i>Quæ excretionis in febribus continuis bonæ, quæ</i> <i>malæ & quando.</i>	44.
<i>Algor externarum, & æstus interiorum partium</i> <i>cum siti in febribus lethale.</i>	46.
<i>Signa mortis in febribus continuis.</i>	47. 48.
<i>Quid designat in febribus abscessus.</i>	49.
<i>Quid spontaneæ lachrymæ.</i>	49.
<i>Quid lentores circa dentes.</i>	50.
<i>Quid tusses siccæ in ardentibus.</i>	51.
<i>Quæ febres ex bubonibus.</i>	52.
<i>Quid sudor febrem non tollens.</i>	53.
<i>Quid rigor ardenti superveniens.</i>	54.
<i>Tertianæ exquisitæ solutio.</i>	55.
<i>Quid periodus.</i>	55.
<i>Surditas febre superveniens.</i>	56.
<i>Febris diebus paribus ægrû deserens revertitur.</i>	56.
<i>Icterus ante septimum malus.</i>	57.
<i>Quotidiani rigores quotidie febres solvunt.</i>	58.
<i>Icterus post 7. diem bonus.</i>	59.
<i>Æstus & stomachi morsus, malus.</i>	60.
<i>Convulsiones in febribus ut & dolores viscerum,</i> <i>mali.</i>	60.
<i>Pavores & convulsiones in somno febricitantium,</i> <i>malæ.</i>	61.

Spiritus

Spiritus offendens malus.	62.
Quæ urinæ in febribus bonæ.	62.
Urinæ perturbatæ in febribus capitis dolorem designant.	63.
Hypochondriorum murmur.	64.
Unde in febribus status.	65.
Quæ liberant ab abscessu.	66.
Obmutescencia ebriorum solvitur febre.	67.
Incomoda frigidæ.	68. 69.
Febres gravidarum	69.
Purgationes mulierum subsistentes quid designant.	70.
Lac febricitantibus est malum.	70.
Cautiones in lactis usu observandæ	73.
Quartana cum convulsione.	73.
Arida febricitantium cutis.	74.
Febris laborantium; difficultatibus inustiorum.	75.
Tremores ardentium febrium.	75.
Dolor Hypochondriorum.	76.
Quid febris in stranguria & volvulo laborantibus.	77.
Febris læsi cerebri.	78.
Febris in obmutescensibus ex capitis dolore bonæ.	79.
Suspiria febrium mala.	80.
Sedimenta urinæ crassa.	80.
Sedimenta biliosa.	81.
Vomitus sanguinis	81.
Ejus cura.	82.
Febris ex bile ortæ cura.	82.
Dolor hepatis febribus sepeveniens	83.
Fluxus sanguinis ex naribus in quartana, malus.	84.
Curatio febrium generalis.	85.
De irrita sitis in febre tolerantia.	99.

C A P. III. I A C

De Ephemera febre.	103.
Ephemerarum judicia & curationes.	106.

C A P. IV.

De Synocho febre.	115.
Ejus prognostica.	117.
Curatio.	119.

C A P. V.

De Synocho putrida.	120.
Prognostica.	122.
Curatio.	127.

C A P. VI.

Qua ratione in venis majoribus putrescant humores, ex quibus febris accenditur continua.	128.
--	------

C A P. VII.

De febre continua, quae conclusa nuncupatur, deque ejus differentiis.	134.
Continuarum judicium, quae terminantur crisi.	140.
Quae solutione, aut commutatione.	147.
Causi prognostica.	151.
Curatio.	152.
Lipyria prognostica.	154.
Curatio.	Ibid.
Tertianae continuae prognostica.	155.
Curatio.	Ibid.
Quotidianae prognostica.	157.
Curatio.	158.
Quartanae prognostica.	159.
Curatio.	Ibid.

CAP.

C A P. VIII.

De febre symptomatica.	160.
Ex inflammat. Curatio	163.
Lentæ simpl. cura.	164.
Ex obstructione.	164.
A squalore & siccitate.	165.
Ex partium corruptela	Ibid.
De febribus comitatis.	166.

C A P. IX.

Intermittentium febrium continentem, proximamque cau- sam, non esse in habitu corporis.	168.
--	------

C A P. X.

Quæ sit intermittentium febrium materia, & quæ illi sedet in corpore.	172.
--	------

C A P. XI.

Quæ circuituum causa sit, & quid eorum ordinem, for- mamque mutet.	179.
Febrium intermittentium judicia.	181.
Curatio generalis.	184.

C A P. XII.

De febre quotidiana.	188.
Prognostica.	192.
Curatio.	199.
Epicalæ curatio.	195.

C A P. XIII.

Tertianæ Cause, signa.	195.
Pro-	Pro-

Prognostica	198.
Curatio.	200.

C A P. XIV.

Quartane cause, signa.	203.
Prognostica.	207.
Curatio.	208.
Quintana &c.	210.

C A P. XV.

De compositis febribus.	211.
Semiteriana.	213.
Prognostica.	214.
Curatio.	214.

C A P. XVI.

Hæctica febris gradus, cause, signa.	215.
Prognostica.	220.
Curatio.	221.

C A P. XVII.

De maligna, pestilenteque febre, qua totius substantia mor- bus est.	223.
Judicium malignarum, & pestilentium febrium.	226.
Prognostica pestis.	229.
Præservatio a peste.	231.
Curatio pestis.	47. 233.

C A P. XVIII.

De carbunculo, buboneque pestilentiali.	234.
Curatio.	237.
De variolis & morbillis.	238.
Prognostica.	239.
Curatio.	

Curatio.	240.
Febris petechialis, Hungarica.	245.

C A P. XIX.

De febrium symptomatis.	246.
De Symptomatum, quae per febres affligunt, diis.	255.

FINIS INDICIS.

211.	Prognostica.
212.	Curatio.
213.	Prognostica.
214.	Curatio.

C A P. XVI.

215.	Curatio.
216.	Prognostica.
217.	Curatio.

C A P. XVII.


218.	Curatio.
219.	Prognostica.
220.	Curatio.
221.	Prognostica.
222.	Curatio.

C A P. XVIII.

223.	Curatio.
224.	Prognostica.
225.	Curatio.
226.	Prognostica.
227.	Curatio.

DE FEBRIBUS.

P R Æ F A T I O.


 Summa morborum symptomatumque genera & eorum causas atque signa exposui, & qua ratione uniuscujusque (etiamsi inauditus, aut ex multis varie implicatus esset) essentia causaque percipi possit; ut jam nihil eorum, quæ sunt ad generalem medendi rationem præmittenda, deesse videatur. At vero quoniam universalium perceptione nemo quicquam magna laude dignum consequi potest sine usu & exercitatione, quæ in singulis versatur: morborum qui in humanum corpus invadunt differentias omnes speciesque nunc sigillatim persequar, veterum instituto & ordine quoad licet observato. De febribus itaque primum scribam, deque morbis qui totius sunt corporis: hinc ad eos dein pergam qui uniuscujusque partis proprii sunt. Non pauca interim legenti occurrent a majoribus aut prætermissa, aut non satis explicata, aut ab illis interdum dissentanea; sed quæ tamen ut ratione stabilita, ita & longo sint medendi usu comprobata. Sic enim decet investigatorem veri non solum quæ legerit, sed & quæ secum ipse meditando considerat & contemplatur, usuque tenet cognitione dignissima, in communem fructum proferre.

Gal. 1. de
diff. febr.
cap. 1. 3.
Febris est
calor;

Quid febris, quæ illius essentia, quæ signa.

Febrius est calor præter naturam è corde in omni corpore effusus. Rigor horrore intermitten-
tium februm, tamen accessio est initium, febris tamen haud quaquam censi potest, quod nondum sit calor incensus. Neque per febrim exiriale partium extremarum frigus è febris est essentia: neque ulla recte potest frigida febris appellari, sed omnis in caloris genere subsistit.

*Non na-
turalis;*

Calor præter naturam adversatur naturali. Est autem naturalis duplex. Unus insitus, in solidarum partium humido primigenio inhærescens, cujus est origo cælestis. Alter elementarius, moderatus & ex omnium elementorum permissione temperatus. Ille omnium functionum primarius est opifex: hic vero adjuvans, quod elementorum temperies insitum illum calorem foveat excitetque. Insitum olim demonstravimus exuperare non posse, nec illius copiam & ubertatem vitio unquam dari, sed quo fuerit uberius (ut infantium ætate) eo naturales vitæ functiones reddi feliciores.

*Sed præter
naturam.*

In eo igitur consistere febris nulla potest: sed febris essentia calor est præter naturam, qui cum adest, tanquam hostis insensus insiti illius substantiam semper oppugnat, labefactat, omnesque functiones interpellat.

*Hic vel in-
census est;*

Triplex autem constitui debet. Unus admodum simplex, qui solius est caloris exuperantia, hinc genitus quod calor elementarius assiduo incremento

mento de temperie & mediocritate decedens, plus nimio exuperat, & qui naturalis fuerat, sensum non naturalis evasit, vitiosus proinde & naturæ jam infensus.

Alius est calor ex putrescente materia pro- *Vel putri-*
tus, qui etiam si non admodum fit ardens, quo- *mus,*
niam tamen ejus de qua prodiit materiæ con-
ditionem redolet, præter naturam est & infito
calori gravis.

Tertius est malignus & perniciosus, quem pe- *Vel mali-*
stilens venenataque materia fundit, non quali- *gnus,*
tatis exuperantia, non putredine, sed totius
substantiæ dissidio vitali infitoque calori ad-
versus.

Solus igitur qui præter naturam est, calor, *Et ut fe-*
febris existit; si modo jam accensus *brim con-*
permanet. Etenim si vel æstu, vel balneis, vel *stituat de-*
exercitatione corpus incalescit, & mox agita- *bet esse. òi-*
tione sedata defervescit, calorem hunc nemo *stans,*
febrem, ut neque morbum appellat.

Nèque porro calorem præter naturam, qui *Vniuersali-*
vel caput, vel brachium, vel crus solum oc- *lis,*
cupat, quia non *in omne corpus* evadit.

Neque si ex parte quapiam late dimanet, sed
neque si è calidiore jecore pariter cum sangui- *Non ex je-*
ne & halitu prodiens, palmas atque plantas *core,*
quasi exurat, aut etiam quoquo versum effusus
omne corpus prehendere videatur: non enim è
corde prodiit. Unus calor præter naturam, qui *Sed è cor-*
è corde per arterias una cum spiritu profluir, uni- *de proven-*
versalis esse potest, unusque prompte ac cele- *nire,*
riter in corpus omne distribuitur. Solus igitur
debet febris appellatione contineri. Adde, je-
core duntaxat affecto, non pulsus, sed natu-
rales solum functiones immutari: affecto vero

corde vitæ principio, ipsi mox omnia consentire, omnesque peræque partes ne munus expleant impediri. Itaque quum febris maxime universalis morbus omnes ubique functiones offendat, debet ejus partis affectio censeri, quæ est ad omnium conservationem usinique necessaria: solusque calor præter naturam è corde in omne corpus effusus, vera febris haberi.

*Non tam
semper in
eo accen-
ditur.*

lib. 4. fen.
1. tr. 1.
cap. 1.

*Febrium
signa cõ-
munia.*

Non est id perpetuum (quod definit *Avicennas*) omnis febris calorem in corde accendi. Tamen de continuis & primariis id verum fatemur, intermittentium tamen & symptomaticarum calor non in corde primum accenditur, sed aliunde sublatus cor ferit, è quo æstuans cum spiritu mox per arterias in corpus omne refunditur.

Omnium porro *febrium communes notæ* sunt, pulsus celer ac frequens, interdum etiam inæqualis, qui solius calidioris cordis est proprius. Virium languor & imbecillitas cum spontanea corporis gravitate aut dissolutione: corpus quippe universum consentit laboranti cordi. Calor aut foris acèr ac pungens, aut intus certe molestus, qui & nonnunquam fervido halitu prorumpit è naribus.

C A P. II.

Februm differentie.

*Ut calor
ita & fe-
bris tri-
plex.*

UT tota febris essentia calor est præter naturam, ita illius propria summaque genera ex caloris differentiis statuenda sunt. *Tria* igitur *febris, ut caloris* præter naturam prima summaque genera existunt, *simplex, putrida, & pestilens.* *Simplex febris* est cujus calor elementarius

solo incremento, naturæ ac temperiei limites excessit: potest & eadem dici naturalis calor in igneum conversus. *Putrida*, cujus calor ex illius putrida emerfit. *Pestilens*, quam venenata perniciofaque exspiratio intulit.

Simplex porro febris *triplex* est, *ephemera*, *synochus* & *hectica*: quæ solo caloris subjecto distant, quod aut corporis substantia est, aut humor, aut spiritus: nec enim plura in corpore subsistunt.

Ephemera in solo spiritu vago primum consistit, isque vere inflammatus est, cujus tamen calor toti etiam corpori imperitur. Hæc quia in tenui & dissipabili est subjecto, uno fere die solvitur, unde *ephemera*, id est *diaria*, nuncupata est: raro longius excurrit. *Synochus*, id est continens, simplex est sanguinis effervescentia, qua nimirum citra putredinem aliamve labem is incaluit, cujus contagione cor ipsum partesque omnes incallescunt. *Hectica* una omnium in partium solidarum substantia primum ac per se consistit ac hæret. Consistunt igitur omnes in corde, at ratione dissimili. In *ephemera* cordis spiritus jam incaluit, humores vero atque substantia duntaxat calent. In *synocho* humor incaluit, substantia vero calet. In *hectica* cordis substantia prorsus jam incaluit, & permanentem fixumque obtinet calorem.

Est autem *hectica duplex*. Una quidem universalis & primaria, quæ cordis primum, deinde reliquarum partium substantiam æquabiliter invalit. *Alterius partis* est *hectica*, quæ cujuspiam partis substantiam primum ac per se obsidet, è qua tamen tum cordi, tum partibus singulis imperitur. Hujus genera complura: nam & ventriculi

Gal. 1. de
diff. feb.
cap. 1.

1. *Simplex*.

Quæ ephemera.

Synochus

Hectica,

Cordis,

Alterius partis.

Gal. 2. de
diff. feb.

cap. 2.

triculi & jecoris & lienis, & pulmonum hectica deprehenditur.

2. Putrida. Jam vero *putridæ febris*, ex putrescentis humoris specie atque ex situ, duo prima constituuntur genera, *continua* & *intermittens*. Quum tanta in venis arteriisque majoribus inest putredo, quæ vel se ipsa, vel suo vapore cor continenter attingat & labefactet, *continua* fit febris. Quum vero aut levior est, aut longius à corde diffusa, ut non assiduo id afficere queat, febris est *intermittens*.

Continua. *Continua febris duplex*. Una vera & primaria, quam accendit putrescens humor in vasis majoribus quæ inter alas & inguina excurrunt. Altera

Symptomata. *symptomata* est, quæ visceris cujuscumque partisve putredinem quasi comes insequitur. Et quæ ex jecoris, lienis, renis, aut cujuscumque partis erysipelate fit, typhodes appellatur: quæ ex earum aut insigniorum partium phlegmone, ut ex peripneumonia, pleuritide aut phrenitide, phlegmonodes. utraque autem symptomata est continua. Fit & nonnunquam symptomata, dum in hisce visceribus citra eorum inflammationem coercitus humor putrescit: idque si affatim universimque fit, acuta febris exitur: si vero sensim ac lente, continua, lenta, quæ diuturna esse consuevit. Putrida febris continua, quam *primariam* nuncupavi, species sortitur ex vincentis humoris natura. Etenim venarum arteriarumque sanguis, si quum putredine incendioque deprehenditur, bene temperatus est, & ex quatuor humorum æquabili permixtione constitutus, febrem accendit synochum putridam, cujus mox species explicabimus. Si calidior is est, plusque bilis quam cæterorum humorum

Aut primaria,

humorum

morum continet, absolute continuam facit tertianam. Cujus si magnum est incendium in cor & præcordia devergens eaque obsidens, verus *causus*, id est febris ardens existit. At vero si pituitosus est sanguis, incensus is ac putrescens febrem profert continuam quotidianam: si melancholicus, quartanam continuam.

Putrida febris intermittens, alia *simplex*, alia *composita*, alia *confusa*.

Simplicis tres differentiae, tertiana ex bile flava extra venas majores putrescente, quotidiana ex pituita putri, quartana ex atra bile pura ac seorsum putrescente. *Confusa* febris non ex humore syncero, verum ex multis uno extra majores venas loco confusis, pariterque putrescentibus emergit: hujusmodi est tertiana notha, ex bile atque pituita pariter corruptis. *Composita* febris ex mistis implicitisque fit intermittens, ut tertiana duplex, quartana triplex, & hemitritæos, quæ ex quotidiana continua & tertiana intermittente constat. Hic ut multæ sunt febres, ita & humores multi separatim putrescunt, non loco uno eodemque confusi.

Hac quasi figura putridæ febris differentiae ex humoris specie ac situ depromptæ sunt.

Pestilens porro febris non uno calore, sed pestilenti malignaque pernicie alias spiritus, alias humores, alias partium substantiam contaminat, hincque differentiae surgunt, quas postea exequemur.

Rursum autem de his singulis expressius & quantum exposcit medendi ratio tradendum.

Galibid!
cap. 8.

Vel inter-
mittens,

Simplex,
Confusa,

Composi-
ta,

3. Pesti-
lens,

ASSIGNATIO

ET

EXPLICATIO

Aphorismorum Hippocraticorum

DE

FEBRIBUS

*Loquentium**Sectionis I. Aphorismus 14.*

*Quid fe-
bris acuta
est?*



Enibus non sunt febres ita acutae; frigidum enim est eorum corpus.

Senibus non sunt febres ita acutae (h. e. febres in senibus non tam celeriter, nec tam continenter, nec tam vehementer moventur, quam in junioribus) *frigidum enim est eorum corpus.* Cum enim febris

nil sit aliud, quam quasi quidam ignis in corporibus nostris incensus, senibus vero, quoniam ob humidum ipsorum primogenium, quod caloris nativi est subjectum, longiore usu, non aliter ut se-vum in candela accensa, absumptum, minus fit caloris, corpusque senes obtineant frigidius, rarius, quam juniores, quibus plurimum innati caloris inest, acutis febribus corripuntur. Multum enim calidum prompte in immensum attollitur, paucum vero non facile. Si vero contingat, ut senes febribus validis, & acutis corripiantur, periculi ple-

num erit, nani, ut dicit Hippocrates, 2. aph. 34. In morbis (magnitudine causæ, & symptomatum vehementiâ paribus) minus periclitantur, quorum naturæ (temperamento) ætati, habitui, (seu corporis constitutioni molliori, vel duriori, tenuiori, vel densiori & solidiori: qui solidâ, densâque carne præditi sunt, non facile injuriis patent, qui vero mollem, teneram, prompteque diffusentem obtinent carnem, facile in gravissimos incurrunt morbos) & tempori (h. e. quatuor anni partibus, qui vero morbi singulis anni temporibus sunt magis cognati, ostendit Hippocrates noster sect. 3. aphor. 20. & seqq.) magis est conveniens morbus (ut si aliqua pars naturâ suâ calidior morbo calido afficiatur, hæc exiguam, brevique temporis refrigerationem requirit, sicut quæ frigidior calefactionem. Similiter in humidis, & siccis res se habet) quam quibus nulla ex parte familiaris est. In his n. causa morbi est major, symptomata vehementiora, curandique ratio minus oportuna: in illis vero, quæ admodum non magnus à naturali temperie, & constitutione factus est recessus, (febris enim ægotantis temperiei est conveniens) & causa quæ eam excitavit minus fuit violenta, minusque contra naturam, ita quoque ob vehementium symptomatum absentiam, & curandi oportunitatem, brevis ad eum, qui secundum naturam est, statum erit reditus.

Huic nihil obstat, quod, si febre ardente corripiantur Æthiopes, quorum naturæ, loco, tempori febris illa satis est familiaris, ut plurimum moriantur; nam à calore urente quasi, externo, poros cutis aperiente, humidumque eorum primigenium evocante, dissipanteque calidum eo-

rum nativum, quod morbi medicatrix est, imminutum, febremque ardentem supervenientem, superare non potens, ejus violentiæ succumbit.

Maximam igitur causam adesse oportet, quæ tam frigidum, quale senum est, corpus in flammam quasi abripit: quod si aliquando contingat, ut senex tam acutâ, uti juvenis, laboret febre, quoniam vires, quæ antea vigeant, debiliores, languidiores, & magis effictæ redditæ sunt, unde naturâ materiam febrificam concoquere impotente, febris tandem in ægrotantis interitum terminatur.

Sectionis I. aphorismus 22.

Concocta medicari, atque movere oportet, non cruda, nec in principio, nisi turgeant, plurimum vero non turgent.

Quæ concocta? Concocta (h. e. vi naturæ, seu innati caloris mitigata, & ad temperiei mediocritatem redacta, tunc enim naturam ipsam evacuationem adjuvantem habemus) *medicari atque movere* (h. e. medicamento purgante, sive sursum, sive deorsum, sive per urinam, sive per habitum corporis educere, & expellere oportet) *non cruda* (h. e. nondum à natura subacta, nec segregata, qualia sunt frigidi & crassi humores, qui tardioris sunt motus & pharmaco inobedientes, hos si commoveris ægro tuo cruciatus, seu tormina circa umbilicum, animi deliquia & convulsionem excitabis, febrem augebis, partes sanas, quæ violentiæ febrili resistere debent, debiliores reddes, febrisque alias salutaris, lethalis fiet: crudi enim humores, ob crassitudinem suam ad motum, seu expulsionem inepti, vias, per quas id, quod medi-

medicamentum dejicit, ad alvum ferri debet, obstruit, quare nec ipsi educuntur, & aliis ne educantur, impedimento sunt. Eadem de causa, qui in prima regione cruditates habent, nec se lavabunt, nec se exercebunt, nam per motum illum omnes illæ impuritates per habitum corporis disperguntur: quare hi in quiete potius sunt continendi, ipsisque cibus, potus, medicamenta attenuantia, & incidentia, modiceque calefacientia danda sunt.) *Nec in principio* (omnia enim adhuc tunc sunt cruda) *nisi humores, turgent* (quæ enim turgent facili remedio expelli possunt, nam sponte suâ per totum corpus feruntur.) *plurimum vero non turgent.* (Turgere dicuntur *quid turgent?* humores, dum inordinato motu per univ^{ersum} corpus ruunt, & dolores, anxietates, similiaque symptomata in variis ejus partibus excitant, quales sunt tenues, calidi, acres, & mordaces, ut bilis, & sanguis biliosus. Ab animalibus venire irritatis per metaphoram ad humores vocabulum hoc translatum est, nam sicut illa feminis acrimonia, & titillatu impulsâ, & concitata stare loco nesciunt, sic & humores in motu vehementiore ab unâ parte in aliam, in morbi principio quiescere non permittuntur, ægrumque de parte in partem, de loco in locum molestant.

Tales humores evacuandi sunt ante concoctionem, metus enim est, ne vires ex illâ humorum agitatione dejiciantur, calorve natus extinguatur, vel ne materia impetu illo concitata in partem aliquam principem irruat. Et quidem statim in principio, nam, ut dicitur. 4. aphor. 10. *purgandum est in morbis valde acutis* (sc. qui vel quarto, ut perperacuti, vel septimo die, ut peracuti summos labores habent, ut dicit Hippocrates

crates noster. 1. aph. 7. in his enim omnibus ut plurimum humores turgent) *si humor surgeat* (additur *surgeat*, nam in morbis acutis, si materia non turget purgante medicamento non utendum. 1. aphor. 24. ne scil. vires frangantur, ne febrilis calor calidorum pharmacorum vi augeatur, & ingravescat, ne materia vi medicamenti mota in partem nobilem ruat,) *eodem ipso die* (scilicet ineunte morbo ut dicitur. 1. aph. 24. non expectato secundo, aut tertio morbi die, simulac scilicet humor ferri, seu moveri cœpit, non expectato paroxysmi fine, hinc sæpius in principio paroxysmorum febrilium medicamentum purgans, vel vomitum, vel sudorem excitans, cum maximo ægri commodo exhibemus.) *In his enim cunctari malum*, febrilis enim calor augebitur, vires dissipabuntur, partibusque nobilioribus à turgescencia & effero illorum humorum motu periculum imminet, turgens enim illa materia facile in partem aliquam nobilem, & principem ruere possit. Si turgens illa materia in nobilem aliquam partem decubuerit, tanto validiore medicamento utendum, quanto à ventriculo longius, loco periculosiore, quantitate majore, temporeque duiturniore resederit; Si vero in partem ignobilem, ut in glandulas, aut articulos, à pharmacia abstinendum.

Objectioni.

Huic nihil obstat 2. aphor. 29. ubi inquit Hippocrates: *Incipientibus morbis, si quid movendum videtur, move, vigentibus autem quiescere multo præstat.*

Satisfit.

nam primo hic aphorismus, 29. scilicet sect. 2. non loquitur de illius materiæ febrilis, quæ in principio cruda est, sed de turgentium, & in prima regione stagnantium impurorum humorum evacuatione, hi. n. *movendi videntur: præsentissimum*

ex

exurgente humore imminens periculum, magis urget, quam humorum cruditas. natura hoc onere levata facilius materiæ febrificæ concoctioni, seu pepasmo incumbere potest.

Secundo Sennertus Epit. instit. Med. lib. 4. p. 2. f. I. c. 6. hunc aphorismum loqui vult non de humorum febrem, sed alios morbos excitantium evacuatione, hos, si ad motum parati sint, & viæ pateant, in principio, imo quovis morbi tempore purgare licet, non tamen temere, sed ut Hippocrates. I. aph. 24. jubet, *adhibito ante singulari judicio*, scil. per accuratam ægri virium, an ad talem purgationem ferendam latis sint robustæ; peculiaris naturæ, symptomatum concomitantium, humoris purgandi, qualis sc. fit, & quatenus turgentium vel fixorum participationem habeat, antea actæ vitæ, diætæ, corporis temperiei, & constitutionis, per quos scil. meatus, sint humores educendi, an satis illi sint reserati, nec ne, & quibus aliqua viscerum inflammatio adest, si ad purgationem minus sunt apti, animadversionem facto, quod iudicium noster senex in aphorismorum proœmio *difficile* pronunciat: sic in scabie, cachexiâ, hydrope, cephalalgia, dolore colico, apoplexiâ, paralyfi, tremore, dentium dolore, magnis vulneribus, inflammationibus oculorum, aurium affectibus, angina, similibusque corporis morbidis passionibus statim in principio, cum nullum prohibens adfuerit, non expectatâ concoctione, purgamus, hi enim humores ea cruditate, quam Hippocrates 22. aphorismo intelligit, crudi non sunt. humor enim febrificus est putrefactus, & corruptus; in reliquis vero morbis, si febris absit, humor nec corruptus, nec putrefactus est. Non tamen est concoctus,

Stus, humorum n. concoctio est humorum putridorum ad meliorem, & perfectiorem statum beneficio caloris nativi facta reductio. Nec etiam crudus, crudum enim, & concoctum medium habent; sed rectius dicetur non-concoctus, seu non-preparatus. Hinc patet non-concoctum, & crudum, non esse unum & idem, sed differre:

*Quid nō
concoctū.*

Notandum hic est *concoctionem*, & *preparationem* humorum differre inter se, *concoquuntur* enim humores à natura, *preparantur* vero ab arte. Sola natura, h. e. calor natus humores concoquit, h. e. elaborat, & ad eam, quam quidem recipere possunt, perfectionem, & statum putredine meliorem reducit, ut sic commodius, & sine ægri detrimento evacuari possint; *preparantur* humores dum vel ad feliciorem à natura efficiendam concoctionem, vel ad commodiorem evacuationem disponuntur. disponuntur humores ad feliciorem concoctionem, vel medicamentis naturam roborando, & fovendo, vel impedimenta, ob quæ concoctio non fiebat, auferendo, quæ impedimenta sunt nimia humorum peccantium copia calorem obruens, vel suffocans; qualitates depravatæ, & p. n. atque humorum im-pactio.

Ad commodiorem vero expulsionem humores preparantur per humorum crassorum attenuacionem, tenuium incrassationem, atque meatuum obstructorum deobstructionem, seu apertionem. Medicus itaque corpora purgaturus, ea mirabilia (S' 292) reddat oportet. 2. aph. 9.

Tertio dicunt alij Hippocratem in aphor. 22. lib. I. intelligendum esse de evacuatione facta per medicamenta purgatoria vehementia, elateria,

teria,

teria, seu agitata dicta, quæ Hippocrati in usu erant, quæ calidiore sua vi corpora vehementius agitabant; non per mitiora, quæ in usu habemus qualia sunt tamarindi, pruna, succus rosarum, violarum, manna, cassia, diacatholicon, &c. quæ vel frigida, vel saltem modicè calida sunt, de hac purgatione Hippocratem in prædicto aphorismo agere volunt, unde etiam eum in aphor. 29. sect. 2. simpliciter, sine addito ponere dicunt *κρίση*, quod est latius, omnem præfidiorem Medicorum materiam comprehendens, in aphorismo vero 22. sect. 1. adjicere *φασπαρμωδία*, quod est medicamento purgante uti. Non igitur prohibet Hippocrates aph. 22. sect. 1. in principio usum glandis, seu suppositorij, aut clysteris, nec prohibet dare pharmaca levia, quæ alvum lubricando ex primæ regione excrementa expellunt, hoc enim non est purgare, sed excrementa tantum evacuare, quæ evacuatio vulgo *minoratio* dicitur, sic enim intestina excrementorum onere levata, aliis succis adjicendis reddentur paratiora: in statu vero, cum omnia sunt acerbissima, natura profligando morbo intenta, medicamentis purgantibus ab instituto avocanda non est.

Sectionis 2. aphorismus 25.

Æstivæ quartanæ plerumque breves si nt, autumnales vero longæ, & maxime qua ad hyemem pertingunt.

Æstivæ (h. e. quæ quidem æstate, verum non *quid æstivæ* ab inclementia aëris, hæ enim sunt breviores, *ve quartanæ* nec ex crasso viscido, & frigido humore præcedente hyeme, aut vere collecto, sed ab intemperantiore

perantiore victus, & alimentorum qualitatis ratione ortæ, æstate enim, quoniam ventres tum sunt frigidiores, calor natus assumpta non ita concoquere potest, sed cruda, & imperfectè concocta relinquuntur, quæ corrupta, & putrefacta febribus originem dant) *quartana* (non erraticæ, nec symptomaticæ, sed essentielles, & primigeniæ, quæ periculi sunt expertes, de talibus enim quartanis non sonant campanæ, in his enim serofus humor, qui melancholicum, & crassiorem humorem, quartanæ febris materiam diluit, & fluxilem reddit, nondum consumptus est) *sunt breves* (calor enim æstivus materiæ febrificæ quartanæ, quæ crassa, & frigida est, calefaciendo attenuando, fundendo, & è profundo in superficiem corporis, quod calore externo laxum & rarum redditum est, pellendo si scilicet naturæ vires satis fuerint validæ, concoctionem juvat, & insensilem transpirationem, per pororum cutis apertionem promovet) *plerumque* (nisi vires fuerint effætæ, & languidæ, nec iusta adhibita curandi ratio, nec conveniens vitæ ratio instituta, his enim prætermisissis in fatis longum protrahuntur tempus) *Autumnalis vero longæ* (tum magnitudine causæ, materia enim quæ frigidior, & crassior ob autumnale frigus reddita est, contumacior, concoctaque difficilior est, unde difficulter curari potest; tum quod in corporibus, ob frigus enim autumnale corporis pori occluduntur, insensibilis transpiratio impediatur, unde contrarius in corpore oritur motus, scilicet à circumferentiâ ad centrum, à partibus exterioribus ad partes interiores.

Objectioni.

Huic nihil *obstat* aphorismus 9. sect. 3. ubi dicit Hippocrates, *Autumno ut plurimum morbi acutissimi,*

tissimi, & funestissimi accidunt, nam primo Hippocrates in aphor. 25. sect. 2. non dicit omnes febres autumnales esse longas, sed quartanas: Dein non dicit simpliciter, sed addit *plerumque*. Tandem nec Hippocrates in aphor. 9. sectionis 3. loquitur absolute, sed comparatè ad febres vernaes: non negat autumno fieri morbos acutos, nam aphor. 22. sect. 3. inter morbos autumnales recenset *anginas* (ileos, insanias seu manias, sed eos non tam salubres, sed magis funestos & exitiosos dicit, quam sunt vernaes, mox enim subjicit, *ver autem saluberrimum & minime exitiale.*) Et maxime quæ ad hyemem pertingunt. Tum enim ob intensus frigus nihil fere exspirat, unde, quia humores in partibus interioribus, quasi in latibulis latentes remanent, viresque servantur robustæ, quartanæ non solvuntur, nec etiam ægri, quia vires manent robustæ, moriuntur.

Symptomatiçæ quartanæ autumno ex interiorum scil. viscerum vitio, ut hepatis, vel lienis, obstructione natæ raro, & non nisi ortâ aliquâ insigni vel per urinas nigras, vel per hæmorrhoidas materiæ morbificæ evacuatione, ante tertium mensem solvuntur; quibusdam ad sextum, aliis vero ad nonum mensem, scil. *Iunium*, quò tempore cerasa maturefcere incipiunt, eo quod tum maximus ut plurimum urgeat calor, finiuntur: nonnullis in integrum annum, imo duos, vel etiam tres durant. In his sæpiissime vel in paralyfin, materia scil. frigida & crassa ad nervos translata, vel in hydropem, ob sanguinis sufficientem dilutionem impeditam, desinunt.

Diluitur]

Quæ quartana Symptomatiçæ?

B

Sectio-

Sectionis 2. Aphorismus 26.

Febrem convulsioni supervenire satius est, quam convulsionem febrili.

Febrem convulsioni (scil. ex frigida, viscida, & pituitosa materia repletionem, ante ordinarium convulsionis concoctionis tempus ortae) *supervenire* (sua sponte) *melius est* (calor enim febrilis materiam illam morbificam incidit, attenuat, calefacit, & discutit, nevosque debita sua siccitate, superfluo humore consumpto, corroborat, & confirmat. Dicit Hippocrates *melius* seu *satius*, nam non semper superveniens febris juvat, ut juvet oportet ut febris sit moderata, convulsioni proportionata, si enim gravior fuerit, aegri vires dissolventur, aegrumque è vivis tollet, si levior, parum juvabit, utpote materiam illam crassam lentam, viscidam & frigidam satis calefacere, attenuare & incidere non potens. Quare cum in medio consistere, & febrem semel accensam deinceps ita moderari, ut morbificam materiam tantum expugnet, & naturae non noceat, difficile admodum sit, tutius & satius erit eam non excitare, quis enim tam insulsus est, ut malum malo curare velit? ut exciteretur febris, nonnulli cum melle, castoreum, aut sagapenum, aut opoponax ʒi. pondere, aut avellanæ magnitudine aegro propinant. Vide etiam *Corn. Cels. lib. 3. cap. 9.*) præstabit à tam dubiâ ac periculosa curandi convulsionem ratione, præsertim cum alia expeditior, & tutior, scil. per expurgationem, ratio subsit, abstinere, calidis enim illis
medica.

medicamentis facile partes solidæ, quæ solummodo calent, incallescere, & permanentem atque fixum calorem recipere, febrisque putrida in hecticam transire posset; imo; si doctissimo *Dureto* in annot. ad cap. 12. lib. 1. de morb. intern. *Hollerii*, credendum Hippocrates eam nunquam excitavit. Nec etiam Hippocrates hoc aphorismo febrem excitandam esse suadet, sed duo mala inter se comparat, utrum scil. alteri sit præferendum, dicit melius esse si febris superveniat convulsioni, quam convulsio febrili.) *quam convulsionem febrili* (sc. ardenti. Foret enim hæc convulsio vel à materiæ febrificæ malignitate, & acrimonia cerebrum nobilissimam illam partem petentis, vel ex inanitione; partium enim solidarum humidum primigenium vi febris, dum exhauritur, omnes corporis nervi exsiccantur, & quasi hecticam constitutionem acquirunt. Hinc etiam hæc febrili superveniens convulsio ut plurimum insanabilis deprehenditur, longo enim tempore opus est, ut exhaustum, & dissipatum restauretur, interim febrilis ardor, & convulsioni dolor urgentes ægri vires & naturam prosternunt. Unde etiam recte aphor. 66. sect. 4. Hippocrates in acutis febrilibus convulsiones malas pronuntiavit.

Nec tamen semper omnis febrili superveniens convulsio lethalis est, sæpius etiam est salutaria, si scil. ineunte febre contingat, quæ convulsio vel venæ sectione, vel purgatione tolli potest, hæc enim non est ex inanitione, sed repletionem, translationem scil. materiæ febrificæ ex vasis in musculos, per violentam

concussionem, vires enim tum nondum sunt debilitatæ, calorque febrilis materiam illam consumit. Sic si in pueris feбри supervenerit convulsio, non erit lethalis, ut dicit Hippocrates noster in *Coac. prænot. aphor. 356.* hæc n. convulsio non vitio humorum, sed nervorum imbecillitate, & humiditate contingit.

Sectionis 2. Aphorismus 28.

Febriticantium non omnino leviter, corpus sibi constare, nec minus, aut etiam plus æquo colliquefieri, malum: illud siquidem morbi longitudinem, hoc vero imbecillitatem significat.

Febriticantium non omnino leviter (nec tamen etiam gravissimè, qui enim graviter febricitant iustam extenuationis causam habent, sc. caloris febrilis vim, genij defraudationem, & continuam per patentes poros insensibilem transpirationem, seu excretionem: Non levissime, qualis levior febris iis, qui ociose, & voluptuose vivunt, accidere solet, in his enim, tum quia calor dissipans est levis, tum quia materia est crassa, cruda, difficulterque resolubilis, tum etiam quia pori non sunt ita patentes, cutisque magis est constipata, sufficiens emaciationis causa non adest, sed mediocriter) *corpus sibi constare, nec minui* (h. e. si corpus non emacietur, nec extenuetur, non ratione materiæ crudæ & glutinosæ, nec pororum obstructorum, sed vi febris; modo scil. uberius alimenti oblato, quod sæpissimè in nostris regionibus, ubi adstantes, & clinicæ mulieres ciborum oblatione ægris satis sunt molestæ,

molestæ, imo etiam sæpius ægros ferè eneant, excusatio adferri non possit.) *aut etiam plus æquo* (factâ scil. relatione ad febrim, ita ut nec ulla, vel ætatis puerilis, vel senilis, in pueris enim humidum est fluxile, calor major, corpus rarum, in senibus vero calor est imbecillior, humidum crassius, corpusque magis densum; vel regionis, vel anni temporis, nam locis, & temporibus frigidioribus corpori ob majorem caloris nativi quasi concentrati efficaciam, plus dissipant, quam locis, & temporibus calidioribus; vel peculiaris ægroti corporis naturæ, nam picroctolis *πικροκτολίς*, & iis, quorum corpora sunt rariora, humoresque tenuiores, & subtiliores, hæc enim corporis constitutio, hæc humorum temperies quam plurimum ad corporis gracilitatem faciunt; vel vigiliarum, vel curarum, vel dolorum, vel motuum animi, vel exercitiorum vehementiorum corporis, vel morbi diuturnitatis, vel evacuationum, tum per urinam, tum per alvum, tum per uterum, seu nares, seu hæmorrhoidas, seu vulnus; tum per sudores; vel inediæ, excusatio adferri possit) *colliquefieri* (h. e. collabi, & macrescere & gracilescere, ita ut appareat facies Hippocratica, scil. cum naribus acutis, oculis concavis, temporibus collapsis, auribus contractis & frigidis, cute circa frontem durâ, & intenta, arida, colore faciei viridi, aut nigro, æger tunc nostris Belgis dicitur *in sijn aengesicht seer verballen*.)

Hanc Hippocraticam faciem, doctissimus, atque celeberrimus, nostras *Petrus Holtzheimus* apud Colonienses Doctor Medicus excellen-

cellentissimus lib. I. cap. 6. de prognosi vitæ & mortis hisce versibus exprefsit.

Si livosa genis facies squalentibus horret;

Aures contractæ, nasus gracilisque relucet

Tempora lapsa nimis, frontis cutis arida torret.)

malum: illud siquidem morbi longitudinem (tum ob plurimam materiæ viscidæ & crassæ copiam, quæ vi febris non, nisi longo tempore discuti potest, tum ob pororum cutis, per quos insensibilis transpiratio contingit, obstructionem, ut enim citius, & feliciter humores ex corpore expellantur, oportet ut corpus sit perspirabile (*ὑπερσπυρ*) & humores fluxiles) hoc vero imbecillitatem (vel etiam mortem vicino in limine ut canit Holtzernius) *significant.* (calore n. febrili spiritus dissipantur, partium solidarum humidum exhauritur, quo exhausto, de materiæ morbificæ per almo, seu concoctione & victoriâ desperandum.

Hinc patet in senum febribus non semper bene esse sperandum.

Sectionis 3. Aphorismus 6.

QUUM æstas fit similis veri, sudores in febribus multos expectare oportet.

Quum æstas (quæ est calida & sicca) *fit similis veri* (h. e. temperatè calida, & humida, ver enim temperate calidum, & humidum est) *sudores* (criticos scil. qui die critico vi naturæ vincentis fiunt, febresque finiunt, non symptomaticos vi morbi factos. hos n. nulla sequitur relevatio, erumpunt enim ex facultatis retentricis debilitate, ante materiæ concoctio-

coctionem) *multos in febribus* (levioribus, nec peracutis, quæ linguas vehementer aridas non habebunt, inquit Hippocrates lib. de humoribus) *expectare oportet.* (materia enim morbifica, quia ob aëris humiditatem, quæ intensiorem æstatis calorem corpus ambientem restinguit, porosque corporis aliquo modo obstruit, evaporari non potest, in corpore accumulata, calore nativo de febrili calore, qui nativo est debilior, & levior, triumphante, attenuatur, & in superficiem corporis diffunditur, unde crisi, humiditate illa excrementitia expulsa, copiosi proveniunt sudores, (quo enim natura, & humor viam affectant, eo crifium fiunt inclinationes) febresque fiunt faciles. Hujusmodi itaque in casu optime Medici sudoriferis utuntur.

Sectionis 3. Aphorismus 7.

Per ficcitates febres acutæ fiunt.

Per ficcitates (vehementissimo cœli ardore, & non pluviarum defectu excitatas, duplici enim de causa ingens aëris ficcitas oriri potest; vel vehementissimo ardore, vel pluviarum inopia; hæc non semper calorem intensum adjunctum habet; sæpissime talis cœli ficcitas de hyeme cum frigore fatis intenso subsistit, illa vero cum pluviarum defectu vehementissimum, & quasi adurentem calorem sibi comitem habet, qualem quam sæpe ficcitatem æstate experimur) *febres* (excedente n. calore partes principes debiliores redditæ, calor. n. internus externo calore evocatur, & dissipatur, ab humoribus cras-

fis & crudis sese liberare nequeunt, hinc venarum obstructions, & ob impeditam per obstructionem ventilationem humorum putredines, tandemque febres fiunt) *acutae* (h. e. celeres, & periculosa, calidissima enim illa siccitas humores biliosiores & aciores reddit) *sunt*.

Sectionis 3. Aphorismus 11.

SI hyems sicca, & aquilonia, ver pluviosum, & australe fuerit, aestate necesse est febres acutas fieri.

Quando
hyems?

Si hyems (h. e. pars anni ab initiis Novembris ad æquinoctium vernale, quæ magna ex parte in calidioribus regionibus est frigida & humida intermixtis siccitatibus gelidis) *sicca* & *aquilonia* (h. e. justo, & non extreme siccior, & frigidior, quæ constitutio naturali hyemis constitutioni plane est opposita, hyems enim juxta Hippocratem lib. de aër. aq. & loc. debet esse moderata, h. e. non valdè sicca, nec supra modum frigida) *ver*

Quando
ver?

(h. e. tempus ab æquinoctio verno ad principium Maji) *pluviosum* (ita ut assidue alij aliis succedant imbres) & *austrinum* (h. e. calidum, hac enim cæli constitutione in corporibus nostris, quam plurima, quæ ob curam à pluvioso, & frigidioris cælo densatam exhalare non possunt, excrementa cumulantur) *fuerit, aestate* (scil. circa solstitium æstivum, vel caniculæ ortum, præsertim si etc. siarū fuerit expers, tum enim temporis maximus solis æstus urget) *febres* (continentes, tum essentielles, tum symptomaticas) *acutas fieri necesse est*

Quando
aestas?

est (summo enim æstatis calore mador ille vernalis putrescit, quo in corpore manente, & non per intestina evacuato, unde etiam sæpius dysenteria sequitur, febres fiunt.

Sed *quærat* quis cur ejusmodi pluvioso & austrino vere non oriantur febres, cum, ut 3. aphor. 16. dicitur *per assiduos imbres, febres fiant?* Dico per præcedentem hyemem siccam & aquiloniam, corpus justo siccus redditum, iterum vernali humiditate ad justam temperiem reduci, unde corpus fit salubrius, sed quia tempus illud pluviosum diutius perseverat, ideo iterum corpus moderatam illam temperiem transcendens, in hybernæ constitutioni contrariam, scil. humidiorum incidit, quare ætas subsequens, corpus offensionem præparatum excipiens, febres in eo accendit latis acutas.

Quæstio.

Responsio.

Sectionis 3. Aphorismus 14.

SI vero aquilonius sit, & siccus autumnus, iis, qui naturam habent humidiorum, & mulieribus commodus, reliquis vero accidunt febres acutæ, & diuturnæ.

Si vero autumnus (æstatem siccam, & frigidam, seu aquiloniam excipiens) *sit aquilonius, & siccus* (h. e. frigidus & pluviarum expers) *iis, qui naturam habent humidiorum, & mulieribus est commodus* (superfluam enim humiditatem consumit) *reliquis vero* (h. e. qui natura sunt sicciores, biliosiores, & melancholici) *accidunt febres acutæ* (bilis enim magnâ præcedentis æstatis siccitate, suo sero, quod eam, ut nimium æstuantem temperat, & quasi refræ-

nat, partibus suis tenuissimis privatus sanguini permixta, & à frigore superveniente intus compulsa, de statu naturali in p. n. abit, & tandem putrescens febrem vehementibus symptomatibus comitatam excitat) & *diurnæ* (bilis enim relicta crassissima continuâ exsiccatione, quasi assatione adurit, frigidiorque redditur, succusque melancholicus augetur, unde febres quartanæ, seu melancholicæ, quæ curatu sunt difficiles, meatus enim, seu pori frigore autumnali ambiente sunt obstructi, natura, ob putridos humores, & febrem reddita est debilior, materiaque, seu bilis in-crassata concoctu difficilior reddita est.

Sectionis 3. Aphorismus 21.

Æstate vero accidunt & febres continuæ, & ardentes, tertianæ plurimæ, & quartanæ.

Æstate accidunt & febres continuæ (tum veræ, ex putrescente bile, calidior enim, & tenuior illa sanguinis pars facile incendi potest: pars vero frigidior, & crudior, quæ pituita dicitur, prout & pars sæculentior & magis terrea, quam artis Medicæ proceres melancholiam vocant, non ita facile; tum nothæ, ex pituitæ salis permixtione ortæ, præsertim si hyems austrina, quæ pituitæ est genitrix verque aquilonium & siccum, illam pituitam diutius retinens, præcesserit) & *ardentes* (scil. cum siti inexplebili, linguæ scabritie, totius corporis inquietudine, & jactatione, ardore insigni, calida enim æstatis conditio non nisi copiosam bilem procreat)

& tertianæ (tum verè, tum nothæ, ineunte scilicet ætate. Inter Pontificios primâ ferè ætate oriuntur quam frequentes febres tertianæ nothæ, quia bili, ob piscium quadragesimæ tempore comestorum usum, vere collecta pituita permiscetur) *& quartanæ* (scilicet æstivæ, quæ in extrema ætatis, ad autumnum vergentis parte, ejusque naturæ proxima, accidunt, ortæ à pituita vernali exusta, & crassiori red-dita, autumnales enim quartanæ, autumnno sunt propriæ, ut modo patebit.

Sectionis 3. Aphorismus 22.

Autumno fiunt & febres quartanæ, & erraticæ.

Autumno fiunt febres quartanæ (à bile adusta) *& erraticæ* (seu inordinatæ, & certi typi expertes, quæ extra horas consuetas vel tardius, vel celerius invadunt, in modo inordinate moventur, modo ordinate persistunt: constant enim hæ febres materia diversa putrescente, vel in uno loco confusa, ut si bili flavæ, vel adustæ permisceatur pituita, vel ex diversis focus exhalante, ita ut una moveatur, altera maneat immota, ut una jam computruerit, altera jam primum putrescat, ideo hæ febres incertis horis invadunt, modo calent, iterumque post unam vel alteram horam horrescunt.

Sectionis 3. Aphorismus 25.

Ad dentiendi vero tempus accedentibus febres fiunt.

Ad dentiendi tempus accedentibus, (h. e. eum pueris

pueris dentes erumpere & apparere incipiunt, quod ut plurimum septimo ætatis mensis incipiens intra secundum, aut circiter annum absolvitur & finitur, qui dentes iterum, præsertim incisorii, seu primores, quos gelatinos, quia in risu emicant, vocant, & canini, seu oculares septimo ætatis anno excidunt) *febres fiunt* (scil. ex dolore, quem erumpentes ex gingivarum carne dentes excitant, ut & ex vigiliis, dolores enim & atroces illi cruciatus, ut & vigiliæ tenellum illud corpus inflammant, humoresque agitando incendunt.

Sectionis 3. Aphorismus 27.

Grandioribus autem adhuc, & ad pubertatem accedentibus, febres diuturnæ potius fiunt.

Grandioribus, & ad pubertatem accedentibus (h. e. adolescentibus, qui jam vocem asperiores edere, & Venerem agnoscere, & famellis cum menstruales esse inceperint) *febres diuturnæ potius fiunt* (ex voracitate enim multum crudæ pituitæ collegerunt, quæ, quia vires tum ob crebras narium hæmorrogias, tum ob veneris, cui assuetæ non sunt, usum, sunt imbecilliores, corpusque densius, à natura domari non potest, unde tandem putrescens febrem accendit, quæ, quia copiosior ejus materiæ est portio, diutius durat.

Sectionis 3. Aphorismus 29.

Adolentibus accidunt febres acutæ.
Adolentibus (h. e. ad juventutem acceden-

cedentibus) accidunt *febres acutæ* (tum ob bilis acrimoniam, quæ tunc in corporibus regnat, tum ob sanguinis abundantiam, in juventute enim ut plurimum naturalis illa sanguinis evacuatio per nares sistitur. Et quia non amplius crescunt, liberaliusque vivunt, plurimum colligitur, & accumulatur sanguinis, qui ob nimiam suam copiam incalescit, & quoniam ab impactis multis, crassis viscosisque humoribus non tantum cutis pori, sed & tenues corporis, jecorisque venæ obstructæ sunt, perspirari, ita ut vis refrigerans foris intro subeat, & tenuia, acria, & fuliginosa excrementa intus foras erumpant, non potest, calor natus in eo strangulatur, & quæcunque in eo sunt calida & humida putrescunt, unde febris sanguinea, quæ satis acuta est, incenditur.

Sectionis 3. Aphorismus 30.

ULtra hanc ætatem provec̄tis fiunt febres ardentes.

Utra hanc ætatem, (scil. juventutem) provec̄tis (ut sunt constantis ætatis homines, & crudi senes, ab anno scil. trigesimo quinto ad sexagesimum quartum) fiunt febres ardentes à bilis copia præcedentis ætatis tempore genita.

Sectionis 4. Aphorismus 21.

EXcrementa alvi nigra, sanguini atro similia, sponte euntia, sive cum febre, sive citra febrem, pessima: & quanto ipsorum colores

lores pravi fuerint plures, eo deterius. A medicamento autem talia exigere, melius est, idque quanto ipsorum plures fuerint colores, non malum.

Excrementa alvi nigra (quibus dejicitur, seu excernitur humor foeculentus, & melancholicus, non atra bilis, hæc licet in multis cum melancholico succo conveniat, scilicet quod fit nigra, consistentia crassior, fusa, & liquata, nec in grumum concrescens, ab eo tamen differt, est enim acerrima erodens, effusa in terram, aceti more fermentat, & cum ebullitione quadam fervet. Hic humor propriæ substantiæ vitio peccans, extra propria vasa effusus, nunquam concrescit, sed fluidus, & liquidus manet) *sanguini atro similia* (non eadem, nam sanguis mediocriter crassus est, ubi è venis excidit, in grumum concrescit, gustu dulcis est, melancholicus vero succus est crassior, extra venas non coit in grumum, sed manet fusus, est acerbus, aut alià quapiam alienâ qualitate præditus. Sanguis exesa, apertâ, vel rupta præcordiorum venâ, in intestina incidens, longo sinuosoque prolapsu ita præassatur, atque nigrescit, ut picem, vel cassiæ medullam referat, discernitur autem, quod intincta linteamina nigrescant, quodque cruenta vel comitetur, vel præcesserit vomitio) *Sponte* (absque ullâ crisi, non vi naturæ, natura enim humore naturali melancholico, vel atra bile in liene, vel mesenterio, collectâ, oppressa, eam in alvum excutit, exturbatque, sed vi morbi, non confertim, nec repente, nec cum euphoria ægri, qualis est critica evacuatio, quæ uno vel altero,

tero, aut ad summum tertio finitur die, sed paulatim, & continenter, quales cum dysphoria ægri sæpius ad decem, vel viginti dies protrahuntur.) *eunivis* (non in morbi vigore, sed in ejus principio, quales excretiones, & dejectiones symptomaticę dicuntur.) *sive cum febre sive citra febrē, pessimi* (significant enim humorem morbificum à naturā domari non posse, vires naturę esse fractas, visceris unde dimanant, nativam temperiem, esse depravatam, ob quam toto fere morbi tempore tales humores generantur, talesque dejectiones prodeunt, quę non ita multo post ægro-
tanti perniciem adferunt. Talia excrementa in puerulo quodam observavi, qui non diu postea obiit. Excrementa erant nigra, plurima, & liquida, crebraque de die, aliquot dies perseverantia.) *Observ.* & quanto ipsorum colores pravi (boni enim si fuerint colores nihil mali portendunt, ut dicitur 2. aphor. 14. in profuviis alvi mutationes excrementorum juvant, nisi in prava mutantur, & recte, bonę enim excrementorum mutationes corpus exquisitius purgari significant) fuerint plures, eo deterius (multorum enim, & pravorum in corpore affectuum sunt signa. Mali autem sunt colores nigri, & liventes, prout hoc testatur Hippocrates lib. 2. progn. aphor. 22. ubi inquit *omnium maximè lethiferum est excrementum nigrum, & livens.*) A medicamento autem talia exigi (h. e. si vis medicamenti cathartici assumpti tales dejectiones nigre ferantur) melius est idque quanto ipsorum plures fuerint colores, non malum. (vitiosi enim hi humores visceribus salvis & integris adhuc excluduntur, quare natura diversorum excre-

excrementorum nimia copia, quâ opprimebatur, liberata, si quid vitij in corpore superfit, facilius concoquet, & corriget.

Questio. Sed *quæras* quis, si humor sponte effluens, & vi medicamenti eductus sit idem humor, cur dejectio artificiosa est laudabilis & bona,

Responsio. spontanea vero non? *quoniam* humor medicamento purgante eductus tantum collectione & copia erat in vitio, naturam sc. opprimens, sed in spontanea dejectione non sola collectione, sed & perenni generatione, ab intemperie visceris generantis dependente peccat, quod viscus, quia diu tali morbo laboravit, tali intemperie affectum fuit, tandem ita debilitatur, & resolvitur, ut ea, quæ prius collecta retinebat, elabi sinat.

Sectionis 4. Aphorismus 27.

QUibus per febres sanguinis undecunque eruperit copia, iis cum reficiuntur, ventres humectantur.

Quibus per febres sanguinis copia (immoderata, ita ut quam plurimum caloris & spiritus una effluerit: si vero exiguus est sanguis qui effluxit, nec confertim, sed paulatim exiit, calor natus imbecillior non fit, nam sicut paulatim profluit, ita etiam virtus ipsa paulatim refici potest.) *undecunque* (sive per nares, sive per uterum, sive per hæmorrhoides, sive per sedem) *eruperit* (non criticè, sed symptomaticè) *iis dum reficiuntur* (quæ tamen refectio admodum difficulter, & tarde contingit, ventriculus enim, hepar, torumque venosum genus immoderata illa sanguinis evacua-

evacuazione, nimis refrigerata, officium suum præstare non possunt, calor natus copiosiore spiritus effusione debilitatus, nec cibum assumptum benè concoquere, nec in sanguinem convertere, nec succos concoctos per habitum corporis distribuere potest, unde quam plurimæ in corpore cruditates, & humiditates cumulantur.) *ventres humectantur* (h. e. feretur alvus, multaquæ humida, & liquida dejectentur, cruditates enim collectæ per intestina delabentes citam, & humidam reddunt alvum, usque dum processu temporis natura antiquas suas vires recuperarit. Quare ejusmodi profluvium, ne cruda materia remota putrescat, & febrem resuscitet, temere sistendum non est.

Sectionis 4. Aphorismus 29.

Febriticantibus si sexto die rigores fiant, judicationem habent difficilem.

Febriticantibus (febris continuis, biliosis, & ardentibus, non intermittentibus, in his enim rigores, licet sexto die fiant, febres solvunt; nam quibus in febris quotidie rigores repetunt, quotidie febres solvuntur. 4. aphor. 63.) *si sexto die rigores* (sive inæquales totius corporis concussiones, vel etiam quævis aliæ excretiones motu, non naturæ, sed morbi, qui paribus diebus movetur, vel vitio partis obortæ, coctio enim desideratur) *fiant, judicationem habent difficilem.* (tum quia adsunt judicatoria non judicantia quæ sunt vel ad mortem, vel ad deterius, vel cum periculo recidivæ: tum quia fractæ vires vi febris motus illos

C

concuss.

concuſſivos ferre nequeunt: *frequentes* Hippocrates intelligit concuſſiones, dicit enim in plurali numero rigores. Si vero ſigna concoctionis præceſſerint, & in dies criticos incidant, medicum terrere non debent, quod vero die ſexto incidentes rigores mali ſint, ſola eſt obſervatio, ſola experientia, nulla ratio.

Sectionis 4. Aphoriſmus 30.

Quibus paroxyſmi fiunt, quacunque horâ febris dimiſerit, eâdem ſi poſtero die repetat, iudicatu difficilis eſſe ſolet.

Quibus paroxyſmi fiunt, quacunque horâ febris dimiſerit, eâdem ſi poſtero die repetat (ut ſi febris tertianæ nothæ paroxyſmus 24. horas durans heſterno die horâ primâ pomeridianâ deſierit, hodie vero horâ primâ pomeridianâ iterum redeat, quod eſt eâdem quâ deſiit horâ redire) iudicatu difficilis eſſe ſolet (materia enim febrilis ob ſuam craſſitiam, contumaciam, & fixitatem, cui naturæ oppreſſæ inertia accedit, non niſi longo tempore ad concoctionem, & excluſionem præparari poteſt, unde febris tardiſſimè ſolvitur.

Sectionis 4. Aphoriſmus 31.

Qui per febres laſſitudinem ſentiunt, iis ad articulos & juxta buccas potiſſimum abiceſſus fiunt.

Qui per febres laſſitudinem (ſive phlegmonofam, ſive tenſivam, ſive ulcerofam, ultro à materia crudâ, craſſa, & frigida, non à vehementiori, & longiori exercitio, quod bilioſam

Sæpe febrem excitat, quæ biliosæ febres raro
 per abscessus, sed sæpius per excretionem,
 scil. sudores, vomitiones, hæmorrhogias na-
 rium, diarrhæas &c. judicantur, obortam)
sentiant (ita ut si vel minimum moveantur, las-
 situdinis sensio in illis oboritur.) *ad articulos*
 (si materia fuerit magis frigida, & cruda) &
ad buccas potissimum (excitatis præcipuè paro-
 tidibus, tum phlegmonosis, tum pituitosis,
 si scil. materia fuerit magis biliosa. Per buccas *quid buccæ*
 hoc loco omne illud spacium quod sub mento *ca 2*
 est ab aure ad aurem intelligendum est. buccæ
 sunt latera oris utrinque, quæ spiritu retento
 inflantur, latinis dicuntur malæ.) *abscessus*
fiunt (per materiæ febrilis nondum elaboratæ,
 nec concoctæ, in his enim febribus frigidor-
 um, crassorum & crudorum humorum pluri-
 ma est copia, ad partes ignobiliore, quales
 sunt articuli, diadosin, & translationem. La-
 tiora enim articulorum spaciosa promptè illos
 humores recipiunt, eosque receptos ad alias
 corporis partes protrudere non possunt, unde
 ibi abscessus oritur; nisi alvus feratur, vel
 urina crassa multa, & alba profluxerit. Nam,
 ut dicitur 4. aphor. 74. *quibus spes est ad articu-
 los abscessum futurum, abscessu liberat urina multa,
 crassa, & alba reddita, qualis in febribus cum las-
 situdinis sensu quarto die quibusdam exire incipit.*
 Cruda enim, & pituitosa, & frigida materia
 per urinam excernitur. In hujusmodi itaque
 febribus laboriosis imitetur Medicus naturam
 & diuretica præscribat, materiamque febrilem
 attenuantibus, & calefacientibus, ut decocto
 falsæ parillæ & chinæ præparatam, & conco-
 ctam, medicamento quodam cathartico ex-
 purget.

Sectionis 4. Aphorismus 34.

SI febre detento difficilis respiratio, repente supervenerit, nullo in faucibus apparente tumore, lethale.

Si febre (acuta, & maligna, ita ut æger validæ febris dominatu teneatur, in qua ob summam refrigerij necessitatem, maxima est liberæ respirationis indigentia) detento, nullo apparente in faucibus tumore (οἰδημα hic synechdochicè ponitur pro οἴδημα, pro quolibet scil. tumore, h. e. si tumor nullus sive externè, sive internè, nullusque rubor in eo appareat, cum maximo earum dolore, difficili deglutitione, potiusque sæpius per nares resiliencia) repente supervenerit difficilis respiratio. (πνιξ hoc loco non significat strangulationem, seu suffocationem, sed respirationem eam minitantem, cum spiratione sublimi, commotis scil. & sublati humeris, nariumque pinnis, inflammatione enim laryngis via, per quam aër thoracem ingreditur, & cum fuliginibus iterum exit, occluditur) lethale (ob respirationem enim interceptam æger suffocatur, seu strangulatur. Contingit hoc in angina quam latentem vocant, quam Hippocrates in prognosticis sic describit. Angina, inquit, gravissima est, ac celerrimè interimit, quæcumque nec in cervice, nec in faucibus conspicuum aliquid efficit; plurimum vero doloris infert, ac spirationis difficultatem, hæc enim eodem die, & secundo, & tertio, & quarto strangulat. qua latente angina, inquit clarissimum illud sui seculi Medicorum lumen Fernellius 5. pathol. 9. sæpius se vidisse sublatum ægrotum

Quid οἰδημα?
μα?

Quid πνιξ?

Angina
gravissima.

*negotum horis octodecim, constante mente, integrif-
que sensibus. Idem & Latinus ille Hippocrates
Cornelius Celsus lib. 2. cap. 6. testatur, cum in-
quit, Neque is servari potest, qui sine ullo timore,
sic n. cum Balduino Ronseolegendum esse,
Hippocratis aphorismus jam explicatus,
quem Celsus allegato loco respicit, suadet,
non timore, vel tremore, ut alii legunt) sc. circa
fauces conspicuo, febricitans subito strangulatur,
aut devorare salivam suam non potest. In his enim
est, guttur inflammatum, faucesque admo-
dum sunt angustæ redditæ.*

Sectionis 4. Aphorismus 35.

SI febre detento repente collum intorquea-
tur, ac vix deglutire queat, nullo existente
tumore, lethale.

*Si febre (ardenti) detento, repente collum intor-
queatur (sive in partem anteriorem, quæ cor-
dis, h. e. excavatio, sive in posteriorem,
quæ cyphosis, h. e. gibbositas, sive in alteru-
trum latus, quæ scoliosis, seu obliqua exca-
vatio dicitur: sive à musculorum fibris, ner-
vis, tendinibus, & ligamentis ratione in-
flammationis œsophagi, ad locum affectum
contractis, & revocatis, sive à nimia siccitate,
aliquando enim in febribus ardentibus con-
tingit, ut aspera arteria, œsophagusque ita
exsiccentur, ut contractis musculis vertebræ
colli de suo loco prolabantur, & moveantur,
collumque pervertatur: ejusmodi siccitatis
signum est vox clangosa, & ad raucedinem
accedens, strepitusque dum bibitur in potus
transitu excitatur) ac vix deglutire queat (viâ*

tum ob ficitatem, tum ob tumorem p. n. angustiore redditâ : ficitatem deglutitionem impedire, patet ex iis, qui per magnum æstum ambularunt, hi difficulter quid deglutire possunt, non nisi ob magnam œsophagi per æstum contractam ficitatem) *nullo existente tumore* (vel revera, ut in ficitate, vel apparenter, ut in œsophagi inflammatione) *lesibila est.* (respiratio enim impeditur.

Sectionis 4. Aphorismus 36.

Sudores febricitantibus boni, qui manare scæperint die tertio, quinto, septimo, nono, undecimo, decimo quarto, decimo septimo, vicesimo primo, vicesimo septimo, tricesimo primo, & tricesimo quarto; ij enim sudores morbos judicant. Qui secus evenerint, laborem, & morbi longitudinem, & recidivas significant.

Sudores (vel quævis aliæ excretiones criticæ ante indicatæ, signis, tum ad speciem, tum ad tempus crisis) *boni, qui manare cæperint die tertio* (qui tamen dies minus est efficax, estque potius dies intercidens, quam criticus, prout & quintus, raro enim materia febrifica intra illud tempus, nisi forsan in febre syncho non putri, concocta, seu domita est) *quinto, septimo, 9. 11. 14. 17. 21.* (alij legunt 20, nam ut dicitur sect. 2. aphor. 24. decimus septimus est quartus tertiæ septimanæ, ultimus igitur tertiæ erit vigesimus.) 27. 31. & 34. (acutæ enim febres omnes sunt biliosæ, at bilis tertio quoque die movetur, paroxysmumque facit, quare ut sudor, vel alia aliqua evacuatio

cuatio in febribus biliosis fit critica, oportet ut die impari contingat, nam quæ imparibus moventur diebus, etiam imparibus, quæ vero paribus etiam paribus judicantur, crisis enim in paroxysmo contingit) *ij enim sudores morbos judicant*; (& solvunt, æger enim morbo liberatus, vel certè levius, & melius se habet, quare, nisi vel in qualitate, vel in copia, vel in excernendi modo quid desideretur, non impediendi, sed finendi sunt) *qui secus* (h. e. non die critico) *evenerint, laborem* (h. e. molesta symptomata) & *morbi longitudinem* (ob nimiam humoris crudi abundantiam) & *recidivas* (ob superstitem cacochymiam) *significant* (hi enim sudores sunt symptomatice, vi morbi facti, hinc æger iis non levatur, nec febre liberatur. Qui vero morbi hos dies superant, non sunt acuti, sed longi, non crisi judicantur, sed vel abscessu, vel sensim materiæ concoctione, seu pepasmo solvuntur. Horum omnium dierum criticorum causas, & rationes si quæras, nihil ages, cum tantum sit observatio eorum, & experientia, ut inquit *Hollerius* in comm. ad hunc Aphorismum.

Sectionis 4. Aphorismus 37.

Sudores frigidi, cum febre quidem acutâ, mortem, cum mitiore vero, morbi longitudinem significant.

Sudores frigidi, scil. ad tactum Medici, seu assistentium, talesque ex corpore profluentes, si enim ob causam aliquam externam sudor frigidus fuerit, nihil mali præ se fert: & tenues) *cum febre quidem acuta* (continua, sive

hi sudores ex toto corpore, five ex quacunque etiam parte emanarint) *mortem* (humorum enim crudorum, & frigidorum, tantam frigiditatem habentium ut, à febrili calore, qui tam intensus & fere igneus est, incallescere non possint, copiâ, calor natus extinctus, vel saltem extinctioni proximus est, visq; retentrix debilitata, quare humores tenues nullis pepasmi signis præcedentibus, nec etiam die critico, emanantes, nec symptomatum, nec febris remissionem adferunt) *cum mitiore vero*, (five continua, five intermittente) *morbis longitudinem significant* (materia enim febrilis ob majorem suam frigiditatem, contumaciam, copiam, & crassitiam, à debili calore facile concoqui non potest, naturæ tamen vis quia satis adhuc est vegeta, calorque natus, oppressus quidem, necdum tamen planè extinctus, tandem materia illa mitigatur & concoquitur, unde tandem natura de febre triumphans, morbum tollit.

Obiectio. Huic non *obstat*, quod *Augustinus Thonerus* lib. 1. obser. 37. refert de febre continua in virgine quadam, præcedente rigore, sat copioso & frigido sudore solutâ. *Nam*, non liquet febrem illam, licet malignitatis non fuerit experta, fuisse satis acutam, qualis Hippocrates in allegato aphorismo meminit, sed mitioris videtur fuisse generis, aliquot enim dierum intervallo, cum acuta brevis & celerioris sit motus, post invasionem, in toto corpore erupit admodum frigidus, & copiosus sudor; quare natura corroborata, & convenientibus mediis adjuncta, facile morbum evincere potuit.

Solvitur.

dies habet, magis sine periculo est; unde etiam illud vulgare ortum est; *ex quartana (sc: intermittente) non sonat campana.*

Enceptio.

Notandum hic est intermittentes febres, licet in se sint periculi expertes, periculosas tamen & funestas posse fieri ob virium imbecillitatem, præsertim in senibus & longiore inedia emaciatis, ob destillationem, seu catharrum, syncopen, malignitatem, vel ob alium quendam affectum supervenientem, præsertim in ijs quibus viscus aliquod læsum est. Sic quartanæ intermit-tentes, quæ pestem nostramanni 1656 circa autumnum excipiebant, maximam partem erant lethales, degenerabant enim in continuas, tumque ægros de vita tollebant.

Observo.

Sectionis 4. Aphorismus 44.

Quos febres longæ exercent, iis tubercula in articulis, vel dolores fiunt.

Quos febres longæ exercent (h. e. quadragesimum diem excedentes ob materiæ febrilis, quæ in illis est plurima, crassa, & frigida pepasimum, & excretionem, quia natura est imbecillis, meatusque occlusi, vel angustiores redditi, difficilem, & non ob visceris aliqujus vitium, qualis sæpè est febris quartana lenta symptomatica, vel ex latente obstuptione, & putredine, quæ lieni vel vicinis partibus contumaciter inhæret &, quasi impacta est, vel ex ipsius lienis corruptione, putredineque, vel ob errorem aut ab ægro, aut à medico, aut ab adstantibus commissum.) iis tubercula in articulis (vel etiam in quali-
bet

bet corporis parte) *vel dolores fiunt* (natura enim materiam febrilem in debiliores partes, ut sunt articuli, deponit; nisi eorum materiam, urinæ crassæ, albæ, & copiosæ profluvium tollat, ut dicitur 4. aphor. 74. In febribus acutis non ita tubercula expectanda sunt, hæ enim magis per sudores finiuntur, ut 4. aph. 36, dictum.

Sectionis 4. Aphorismus 45.

Quibus tubercula ad articulos, vel dolores post febres diurnas fiunt, ij cibariis pluribus utuntur.

Quibus post febres diurnas (perfecte & integre per urinæ crassæ & albæ copiosum profluvium judicatas, & sublatas, nullâ materiâ superstitite) *tubercula vel dolores ad articulos* (lassitudine illâ ultro obortâ manente, quæ illarum febrium fuerat antesignana) *fiunt, ij cibariis pluribus* (quam exhausti ratio postulat & partium nutritioni dicatarum convalescentium conditio requirit) *utuntur* (horum enim ventriculus præcedente febre refrigeratus, & exsiccatum multum quidem cibi appetit, verum eum ob caloris nativi languorem conficere, & concoquere non potest, unde in illorum corporibus cruditates oriri & quam plurima excrementa colligi necesse est, quæ vel in cutem, & in partes ignobiliores, quæ lassitudine adhuc affectæ sunt, impetum facientes, in ijs illa tubercula, vel illos dolores excitant. *quibus enim* (4. aph. 32. à morbo restitutis, pars aliqua laborat (sc. ex noxiorum humorum ad eam delapsu) *eo abscessus fiunt.* quare ægro

re ægro illi cibum subtrahes, eumque leniter purgabis.

Sectionis. 4. Aphorismus. 46.

SI rigor febre non intermittente, ægrum jam debilem, frequenter invadat, mortiferum est.

Si rigor (symptomaticus, non criticus, qualis in causo sudorem antecedit) in febre non intermittente (si enim febris interniserit, licet facultas fuerit debilis, virtus enim morbo jam profligato, intermissionis tempore, facile reparari potest.) ægrum (vel diuturnitate, vel vehementia febris) jam debilem, frequenter (& non semel aut bis, ita tamen ut eum nulla excretio, nullusque fudor sequatur) invadat, mortiferum est. (materiam enim morbificam natura quidem aggreditur, sed febre debilitatâ operi succumbit, & vel nil excludit, vel si ejus molitionem aliqua sequatur evacuatio, eam perferre non poterit, vel rigores, seu insignes illas totius corporis concussiones frequenter incidentes non sustinebit, hinc febris de natura triumphans ægrum de medio tollit.

Sectionis 4. Aphorismus 47.

EXcreationes in febribus non intermittentibus lividæ, cruentæ, fœtidæ, biliosæ, omnes malæ, commode tamen si prodeant bonæ: sed eadem quoque est eorum quæ per alvum, & urinas excernuntur, ratio. Si quid vero, quod non juvet, per hæc loca excernatur, malum.

Excrea-

Excretiones (h. e. quæ per fauces, & asperam materiam expurgantur) *in febribus non intermittentibus*, (& continuis. facit hic Hippocrates tantum febrium mentionem, quia huiusmodi excretiones in febribus magis, quam in reliquis morbis malum portendunt, licet in reliquis etiam non sint bonæ) *lividæ* (h. e. quæ colorem cinericium cum quadam nigredine referunt, ob caloris nativi extinctionem) *cruentæ* (meræ, ex rupa, exesa, aut aperta vena effusæ) *foetidæ* (ut sputa tabidorum brevi moriturorum, ob summam putredinem, & corruptionem) *biliosæ* (nullo sanguine, nullâ pituitâ perfusæ, ovorum vitellis similes) *omnes malæ* (materiae enim contumaciam, & pepasmi difficultatem, partium infirmitatem, bilisque abundantiam denotant, unde etiam febrim finem non imponunt) *commode tamen* (h. e. ineunte morbo, ex facili, sine molestiâ, sine respirandi difficultate, sine magnâ tussi, superstitite partium unde manant integritate, die critico, morbo concocto, signisque concoctionis præcurrentibus, tempore anni, regione, ætate, & ægrotantis peculiari natura concurrente licet etiam lividæ, cruentæ, foetidæ, & biliosæ fuerint) *si prodeant, bonæ*: (naturæ enim beneficio expectorantur, partem affectam expurgant, febrimque finiunt.) *Sed eadem quoque est eorum, quæ per alvum, & per urinas excernuntur ratio*, (si scil. in illis nulla qualitatis, copię, excernendi modi, & temporis ratio desideretur) *si quid vero, quod non juvat* (hoc est quod non levat morbum) *per hæc loca* (scil. per os, alvum, vel per vesicam,) *excernatur, malum* (ægri

ægrî enim eas exclusiones non facile ferunt, talia enim, qualia oportet purgari, non purgantur, ea enim in corpore retineri, quam ex eo expelli præstaret.

Sectionis 4. Aphorismus 48.

IN febribus non intermittentibus, si partes externæ algeant, internæ urantur, & siciant, lethale est.

In febribus non intermittentibus, si partes externæ, (seu extremæ, ut caput, manus, pedes, nasus, aures, labra) algeant (seu frigidæ sint, ita tamen ut frigus illud positivum, non privativum, hoc enim est non calor, nec criticum, nec periodicum fuerit, sine ullâ caloris successione) internæ (h. e. partes ab umbilico ad thoracem usque, ut sunt pulmones, diaphragma, ventriculus, hepar, ut Hippocrates 2. progn. 4. se explicat) urantur (ita tamen ut nulla neque doloris colici, neque synopes, neque hystericae affectionis, nec futuræ crisis excusatio adferri possit, sicuti sæpissime in febribus ardentibus malignis, seu pestilentialibus, & quas lipyrias vocant, contingit.) & siciant, (non à bilis, aut pituitæ falsæ in ventriculum affluxu, ut sæpissime in principio paroxysmi februm tertianarum accidit, sed ex interiorum partium, instar cucurbitularum, omnem exteriorum partium calorem ad se trahentium, unde in illis non nisi maxima siccitas oriri potest, inflammatione.) lethale est (in hujusmodi enim febribus calor natus vi febrilis caloris extinguitur, tandemque mors sequitur, maxime si ægrî

Quid frigus privativum?

si ægri corpus exagitant, vestes deiciunt, pedes, manusque nudant, cum linguæ siccitate, & scabritie, cum hypochondriorum tensione, ubi vero jam mors imminet, succedit tenuis sudor primum per caput, dein per totum corpus. Unde etiam recte Hippocrates sect. 7. aphor. I. in morbis acutis extremarum partium frigus malum pronunciauit.

In peste maximus est hujus aphorismi usus, si enim in hac ardor cum siti adest, & extrema frigent, calida antidota non temerè dabis, interiora enim vi caloris pestiferi uruntur: Ioannes Baptista Helmontius, Hippocratem usum fuisse vult in peste vino salso fervido, non tepido, ita ut ager ex eo sudaret, addidissetque sulphuris grana xxiv. hunc potum tri-
Vsus in peste.
Cum pestis.
Helmontij.

Sectionis 4. Aphorismus 49.

IN febre non intermittente, si labrum, aut supercilium, aut oculus, aut nasus pervertatur, si non videat, si non audiat, imbecillo jam corpore, quicquid horum acciderit, in propinquo mors est.

In febre non intermittente (in febribus enim intermittentibus, quia tempore intermissionis vires refici possunt, hæc lethalia signa non eveniunt, sed continua, si scilicet nulla perturbationis criticæ excusatio adferri possit, hisce enim similia symptomata sæpissime sunt critica) si labrum, vel supercilium, vel oculus, vel nasus

nasus pervertatur (eorum scil. musculis , vel propter inflammationes , vel ficcitates , vel etiam immodicas frigiditates convulsis , atque contractis) *si non videat* : (æger) *Si non audiat imbecillo corpore* (Hoc enim si fuerit robustum , hæ affectiones non semper sunt lethales) *quicquid horum acciderit* (non igitur necesse est ut omnia hæc symptomata semper simul , adsint sed satis est ut unum , vel alterū appareat , quo tamen plura apparuerint , eo citius , & certius mors superveniet .) *In propinquo mors est* . (omnes enim facultates vi febris labefactæ sunt . His igitur apparentibus nil magni remedij in ægro tuo tenta , ne quem morbus sustulit , medicamento sustulisse videaris .

Sectionis 4. Aphorismus 50.

UBi in febre non intermittente difficultas spirandi , & delirium acciderit , lethale.

Vbi in febre non intermittente spirandi difficultas (qualiscunque etiam ea fuerit , sive magna , & rara , qualis esse solet in ijs , qui altius quid cogitant , & in delirantibus ; sive exigua & frequens , ut in ijs , quibus diaphragma , vel pleura , vel mediastinum vel pulmones inflammati sunt ; sive sublimis in quathorax , & scapulæ multum attolluntur ; sive offensata , & intercisa ; *perturbatione tamen critica* , quæ per thoracis vasa materia febrifica transiens , pulmones premit , unde ægri difficulter tum spirant , quæ tamen dyspnæa non perseverat , sed brevi transit ; & *accessionum* in febribus *tigore* , summus enim calor frequentem illam respi-

Exceptio.

respirationem urget, exceptis.) & (translata materia ad cerebrum) delirium acciderit, lethale (cum naturali enim facultate vi febris læsa, & vitalem; & animale læsam esse indicio est,

Sectionis 4. Aphorismus 51.

IN febribus abscessus, qui primis iudicationibus non solvantur, longitudinem morbi significant.

In febribus (diuturnis, hæ enim per abscessus judicari solent) abscessus, qui primis iudicationibus (seu crisis, quæ si abscessus vigesimo die fuerit ortus, vigesimo septimo; si vero post quadragesimum, sexagesimo die febrem solvent) non solvantur (quæ solutio, qui tarde contingit propriè λύσις, prout altera quæ cito fit, κρίσις, dicitur; tantum enim, quantum est necessarium, non excernitur. (longitudinem morbi significant.) humoris enim peccantis copiam, quam unica iudicatione, seu crisi natura expellere non potuit, & contumaciam viresque fractas designant. Si hi abscessus peccatum non recipiunt, nec suppurant, putrescent, partesque in quas decubuerunt, gangrænabunt, sphacelabuntque, unde tandem mors expectanda est.

Quid λύσις?
Quid κρίσις?

Sectionis 4. Aphorismus 52.

QUibus in febribus, voluntariè illachrymant oculi, absurdum non est, quibus vero præter voluntatem, absurdus.

Quibus in febribus voluntariè (sive propter animi quandam passionem, scil. tristitiam, vel

D misericor-

miseri cordiam, vapor enim à corde elatus humidum cerebro contentum exprimit, & per oculorum canthos expellit, siue propter peculiarem oculi affectum, ut est festuca, vel simile quid in oculum incidens, vel inflammatio, vel acris quædam fluxio à cerebro in oculos destillans, ut in epiphora) *illachrymant oculi, absurdum non est* (h. e. nihil periculi est) *quibus vero præter voluntatem* (non quidem critice, sæpius enim criticam naturam hæmorrhagiam huiusmodi illachrymatio antecedit, sed symptomatice) *absurdus* [ut plurimum enim mortem significat. cerebro enim, oculorumque canthis, quos quasi præsidia quædam oculorum angulis natura obduxit insita vis retentrix, resoluta esse videtur. In his oculi sunt concavi, extenuati. Verum huic uni signo non multum fidendum, nec super hoc multum metuendum, reliqua etiam sunt observanda: illud itaque tum demum, si alia periculosa signa accesserint, malum iudicandum.

Sectionis 4. Aphorismus 53.

Quibus per febres circa dentes lentores obnascuntur, iis vehementiores fiunt febres.

Quibus per febres (continuas, sine ullis palpationis signis, si vero lentores illi citra febres nascuntur, ut propter cibi, qui comeditur ad dentes adhæsiorem, nihil mali, præsertim unde periculum imminere posset, significat) *circum dentes lentores* (ex nimia crassi, crudi, frigidi, & pituitosi in ventriculo humoris copia orti)

obnascuntur

obmascentur, iis vehementiores sunt febres, (materia enim febrilis ob suam cruditatem, crassitiam, & frigiditatem admodum est contumax, nec nisi à satis intenso, & vehementi calore reïncendi, exsiccari, & consumi potest: quæ sicut difficulter, & non nisi magno calore incalescit, & quasi accendi potest, ita accensa & calefacta diutius calorem illum majorem, & acriorem retinet: hic lentor si fuerit albus, febris erit diuturna, si vero niger, funesta. Idem de labrorum ulcisculis & aphthis in febribus censendum, hæ si fuerint nigriores mortem, sin albæ diurnam & tardioris refectionis febrem denotant.

Sectionis 4. Aphorismus 54.

Quibus siccæ tusses paululum irritantes, in febribus ardentibus diu durant, ij non admodum siticulosi sunt.

Quibus tusses (non à maligna, aut crassa, sed tenui, & miri destillatione ortæ) siccæ (quibus scil. nihil vel admodum parum expectoratur, quales tusses sæpissimè à vento & aère frigidiore, qui inspiratus fauces & asperam arteriam exasperat oriuntur,) paululum irritantes (quæ enim vehementes & magnæ sunt, thoracem commovendo, & febrem, & calorem, & sitim majorem excitant) in febribus ardentibus (quarum inexplebilis fitis pathognomonicum signum est) diu, (& longiore tempore) durant (si enim statim tusses illæ desinerent nihil tale eveniret) ij non admodum siticulosi sunt (faucibus enim benigniore, miri, & tenui illo catharro irrigatis, fitis

illa, quæ pro febris, & ardoris ratione deberet esse satis magna, imminuitur.

Sectionis 4. Aphorismus 55.

EX bubonibus febres omnes malæ, præter ephemeræ.

Ex bubonibus (symptomaticis scilicet & non criticis, in febrium enim crisi bus sæpius nascuntur bubones, qui sunt sine periculo, ortis ex inflammatione glandularum quæ sunt sive in inguinibus, sive sub axillis sive ad cervicem, & collum, sive etiam in alio aliquo loco, per se, sine evidentium causarum vi duplicis enim generis sunt bubones, quidam à causa procatartica, & evidente, ut labore, atrocibus doloribus, seu cruciatibus, contusione, quidam vero citra evidentem causam excitantur: his comitatæ febres sunt putridæ, illis vero putredinis sunt expertes, illæ sunt diariæ, seu ephemeræ, hæc vero diutius durant) *febres omnes* (perseverantes, sive bubonem præcesserint, sive ei successerint, sive simul cum eo prodierint) *malæ* (ex putri enim materia constant, suntque ut plurimum, præsertim si vomitiones, diarriæ, urinæ paucæ, pulsus languidus, carbunculus, hisque similia symptomata maligna adfuerint, malignæ, pestilenciales, simulque viscus quoddam excrementa sua in inguina, vel alia aliqua emunctoria deponens, male affectum esse designant) *præter ephemeræ*. (in his enim nulla est humorum putredo, soli spiritus calore p. n. affecti, & inflammati, reliquum vero corpus tantum calet, hæc inflammatio,

matio, quia est in tenui & facile dissipabilis
 subjecto, non diu durat, febremque viginti
 quatuor tantum horas durantem, unde etiam
 diaria, seu ephemera dicitur, raro longius ex-
 currentem, excitat.

Sectionis 4. Aphorismus 56.

Febriticanti sudor superveniens, febre non
 deficiente, malum: prorogatur enim mor-
 bus, & multam humiditatem significat.

*Febriticanti sudor (five criticus, five sym-
 ptomaticus) superveniens, febre non deficiente,
 malum. (non enim materia morbifica, quæ
 putruit, sed serosa, & fuliginosa excrementa,
 quæ in toto corporis habitu colliguntur, ex-
 cluduntur, unde febris etiam non solvitur,
 sed perseverat) prorogatur enim morbus, (ma-
 teria enim morbifica tum ob naturæ imbecilli-
 tatem, tum ob suam ad concoctionem, quia
 pars ejus tenuior per sudores evanuit, crassior
 vero superstes mansit, ineptitudinem, con-
 tumacior domatuque difficilior reddita, non
 nisi longiori tempore edomari, h. e. conco-
 qui, separari, & excerni poterit: si vero
 mala signa, ut sunt delirium, convulsio, to-
 tius corporis refrigeratio, &c. supervenerint,
 lethale est.) & multam (crassioremque) hu-
 miditatem significat.*

*Sectionis 4. Aphorismi 57. explicationem
 vide pag. 16. ubi aphorismus 25. sect. 2.
 fuit explicatus.*

Sectionis 4. Aphorismus 58.

SI febre ardente laboranti rigor superveniat, solutio fit.

Si febre ardente (exquisita) laboranti, superveniat (die critico, si enim die non critico acciderit, periculosus erit, ut supra ex 4. aph. 29. diximus) rigor (scil. criticus, signa concoctionis sequens, semel tantum incidens; si enim sæpius incidat, malum, ut supra dictum ad sect. 4. aph. 46. pag. 44. hæmorrhagiæ narium, vel sudoris, vel alterius evacuationis criticæ antesignanus, ortus ex materiæ morbificæ, vel ad habitum corporis, scil. panniculum carnosum adipi subjectum, vel ad primam regionem delatione, partibus illis molestiam creantis, quam molestiam dum partes à se repellere volunt, se concutiunt, non aliter ut videmus in eo, cui aquæ calidæ gutta incidit in manum; hic manus, ut à se quod sibi molestum est, rejiciat, se contrahit & concutit) solutio fit (Requiritur tamen ut rigorem excipiat evacuatio quædam, sive per sudorem, sive per vomitum, sive per alvum, sive per hæmorrhagiam &c. si vero nulla sequatur excretio, lethale est; calor enim indomitæ, & aquosæ materiæ, cui occurrit, affluxu suffocatur, & extinguitur, materia morbifica exagitatione, & calore febrili, qui antea foras tendebat, nunc vero intro revocatus est, turgens, nec amplius naturæ dominatu contenta, in partes nobiliores, ut caput, vel diaphragma refluit. Non igitur rigor, sed excretio, quæ rigorem sequitur, ægrum liberat,
 ponit

ponit hic Hippocrates antecedens pro con-
sequente.

Sectionis 3. Aphorismus 59.

Tertiana exquisita septenis ad summum
circuitibus judicatur.

Tertiana exquisita (ex merâ flava bile excre-
mentitia in primâ regione putrescente tem-
pore, regione, ætate, temperamento, cali-
dis, & ficcis orta, cujus longissima accessio
est horarum duodecim, interdum tamen se-
ptem, vel etiam quatuor tantum, multo su-
dore, eoque calido, vaporosoque inclinans,
quam pura sequitur intermissio: non notha,
quæ bilis, & pituitæ admixtione genita ac-
cessionem ultra horas duodecim, imo sæpius
ad octodecim extendit) *judicatur* (scil. ad sa-
lutem, vires enim intermissionis & *ἀπορροή*
tempore recreatæ materiam benignam, omni-
que malignitatis, & contumaciæ expertem,
facile concoquere possunt) *septenis circuitibus*
(seu periodis intra illud enim tempus mate-
riæ illius pepasimus absolvitur, *periodus* est uni-
versum illud spacium, quod est à primo unius
paroxyfimi insultu, ad insultum alterius; hu-
jus sex sunt tempora, *primum*, in quo alget
æger, *secundum* in quo calere incipit, *tertium*
in quo calor augetur, *quartum* in quo omnia
æqualem magnitudinem obtinent, *quintum*,
in quo calor decrefcit; *sextum* in quo integri-
tas, seu intervallum est) *ad summum* (sæpius
enim exquisita tertiana, tertia, vel etiam
quinta accessione finitur, constat enim humo-
rebilioso, qui non est crassus, nec lentus, nec

*Quid pe-
riodus.*

tenax, quali quotidiana vel quartana febris constar materiâ, nec est admodum copiosus, sed tenuis, facile dissipabilis, paucus, & suâ acrimonia naturam aut expurgationem stimulans, Notha vero ob materiæ contumaciam, & frigiditatem fere semper ultra septimum ad decimum quartum paroxysmum, & etiam ultra protrahitur, præsertim si mense Martio genita Majum attingat.

Sectionis 4. Aphorismus 60.

Quibus per febres aures obsurduerunt, iis sanguis ex naribus fluens, aut perturbata alvus morbum solvit.

Quibus per febres aures obsurduerunt (translatione scilicet materiæ ad aures, & non à resolutione cerebri vi, quæ resolutio lethalis est) *iis sanguis ex naribus profluens* (si critica fuerit translatio) *aut perturbata alvus*, (si scilicet fuerit translatio ad aures symptomatice, quo in casu imminet phrenitis, quam alvi fluxus tollit biliosus, quibus enim surditas adest, biliosorum dejectione finitur 4. aphor. 28.) *morbum solvit* (humor enim à capite refluens per illa loca evacuetur, & ex corpore effluit.)

Sectionis 4. Aphorismus 61.

Febriticantium nisi diebus imparibus febris reliquerit, solet reverti.

Febriticantium nisi diebus imparibus (qui ante per signa ad tempus criseos apparentia significati fuerant, ut septimo, aut undecimo; bilis enim quæ illius febris materia est non nisi diebus

bus imparibus movetur, at quo die fit accessio seu motus materiæ, eo etiam fit crisis. febris (acuta scil. seu continua causodes, quæ raro ad decimum quartum diem protenditur, sed vel quinto, vel septimo, vel nono, vel undecimo die terminatur. Quare pari die facta evacuatio, non critica, sed symptomatica erit, orta vel à copia, & ferocia materiæ naturam ad exclusionem irritante, vel à resolutione, & debilitate facultatis retentricis, qua nihil amplius retineri potest) reliquerit (scil. cum aliqua exclusione) solet reverti (natura enim totam materiam non expulit, quare pars materiæ morbificæ, in corpore reliqua recidivam febrem parit, ut bene dicitur. 2. aph. 12. Quare tunc corpus purgandum erit.

Huic nihil *obstat*, quod & decimo quarto, & vigesimo die quædam salutariter sine recidiva solvantur febres, hi enim dies, si medica fit ineunda supputatio, non sunt pares, sed impares, decimus quartus enim est secundus septenarius, & vigesimus est tertius, at omnis dies septenarius est impar.

Objectio.

Solvitur.

Sectionis 4. Aphorismus. 62.

Quibus per febres morbus regius supervenerit ante diem septimum, malum.

Quibus per febres (essentiales, & non symptomaticas, ita ut inflammati hepatis, aut obstructæ vesiculæ bilis, aut assumpti veneni excusatio adferri non possit) morbus regius (seu icterus, exclusione scil. bilis ad cutim, qui est symptomaticus, & non criticus) supervenerit ante diem septimum (intra quod tempus bilis,

D S

quæ

quæ illarum febrium materia est, ob suam cruditatem, & crassitiam mitigari non potuit.) *malum* (non enim natura, sed materiæ copia triumphat.

Objectioni Huic nihil *obstat* Hippocrates dum lib. 4. de R. v. in acutis, inquit, *in febre biliosa morbus regius ante septimum diem natus, cum rigore morbum solvit, sine rigore vero malum.* Nam per rigorem non simplicem concussionem, sed eam,

Satisfis. quam insignis quædam evacuatio, sive per alvum, sive per urinam, sive per sudores, sive per hæmorrhagiam facta, quæ materiæ morbificæ reliquiæ ex corpore expelluntur, sequitur, naturæ scil. robore comite, si vero naturæ infirmitas adfuerit, licet evacuatio insignis sequuta fuerit, tamen peribit æger. Eodem modo rigor ab Hippocrate sumitur *in sect. 4. aphor. 58. & 63.* Verum est & morbos peracutos salutariter quarto die judicari, verum hi nunquam ictero, sed alia evacuationis specie judicantur. Si vero febricitanti, cum virium robore, icterus insigni quadam evacuatione comitatus acciderit, salutaris erit.

Prolepsis.

Sectionis 4. Aphorismus 63.

Quibus in febribus quotidie rigores repetunt, quotidie febres solvuntur.

Quibus in febribus (intermittentibus) quotidie (h. e. singulis diebus, quibus febres fiunt, sive alternis, ut in tertianis, sive singulis diebus, ut in quotidianis, sive quarto quoque die, ut in quartanis) rigores repetunt (tum strictè sic dicti, tum frigora, tum horrores) quotidie febres solvuntur (ægrique eo die febris expertes

partes degunt : materia enim morbifica ex
 foco ad cor delata , cuius motu paroxysmus
 fiebat , discussa est , unde *ἀπυρεξία*. Hinc patet *Corredie*
 hunc aphorismum non intelligendum esse ,
 ut nonnullis placet , de febre semitertianâ , ex
 tertianâ scil. intermittente , & continua quo-
 tidiana composita , in qua quidem singulis
 diebus sunt rigores , verum nulla *ἀπυρεξία* , seu
 infebriticatio : Sed quia in intermittentibus
 focus , qui est extra vasa , in pancreate , vel eî
 vicinis visceribus , adhuc manet , hoc quod
 in eo de prima materia relictum est , facile
 reliquam massam inficit , non aliter ut minima
 fermenti particula totam massam fermentare
 facit , unde sequentibus diebus non redit fe-
 bris.

Sectionis 4. Aphorismus 64.

Quibus per febres morbus regius die se-
 ptimo aut nono , aut undecimo , aut quar-
 todecimo supervenerit , bonum , nisi dex-
 trum hypochondrium durum sit , alioqui mi-
 nime bonum.

Quibus per febres (essentielles , continuas ,
 acutas , hæ enim tantum intra 14. diem judi-
 cantur , ut dicitur 2. sect. aphor 23. & non
 symptomaticas) morbus regius die septimo , nono
 aut decimo quarto supervenerit , bonum (est enim
 criticus , die critico , & impari factus , ægerque
 morbi molestiâ levatur , bilis enim , ex qua
 febris constabat , ad cutim translata est) nisi
 dextrum hypochondrium (h. e. pars supra um-
 bilicum utrinque ad latera costis spurij sub-
 jecta.) durum sit (hic enim non criticus , sed
 sympto-

symptomaticus esset ex hepatis inflammatione, vel folliculi fellis obstructione ortus) *alioqui* (h. e. si diebus criticis icterus ortus non fuerit) *minimè bonum* (significat enim icterum motu & malitiâ morbi contigisse & symptomaticum esse quem tamen si largius alvi, vel urinæ vel sanguinis profluvium exceperit, periculi, & calamitatis causa tollatur, ut supra 4. *aphor.* 62. dictum.

Sectionis 4. Aphorismus 65.

IN febribus circa ventriculum. vehemens æstus & stomachi morsus, malum.

In febribus (continuis) circa ventriculum vehemens æstus & stomachi morsus, malum (significat enim magnam in præcordijs, esse inflammationem, biliosamque materiam ab hepate ad ventriculum deferri, qui ejus vi, & acrimoniâ debilitatus, cibos assumptos malè coquit, unde etiam morsus ille stomachi, & per sympathiam syncope. qui sic febricitant sæpius levi, & tenui suborto sudore die quarto moriuntur.

Sectionis 4. Aphorismus 66.

IN febribus acutis convulsiones, & circa viscera vehementes dolores, malum.

In febribus acutis convulsiones (supervenientes febribus) & circa viscera (h. e. omnes illas interiores partes, scil. lienem, hepar, cor pulmones &c) *vehementes dolores* (ex illorum inflammatione, vel exsiccatione, quo in casu hypochondria sunt retrotracta, orti, qui tamen

non

non sunt in visceribus, viscera enim ut sic nec sentiunt nec dolent, sed in partibus membranosis, quibus viscera annexa sunt) *malum*. (hujusmodi enim convulsiones fiunt ab inanitione, & exsiccatione nervorum à calore febrili vehementiori factâ, omnes hæ sunt malæ, ut satis patet ex prioribus aphorismis sectionis. 5. qui omnes de convulsione ex inanitione orta intelligendi sunt. Hujusmodi convulsiones, fere incidunt sub mortem, quando primum manus (nisi id ex consuetudine, ut in potatoribus inclytis, & ebriosis, fiat) incipiunt contremiscere, dein pulsus revellitur; hoc si in ægro tuo observaveris, sæpius in peste laborantibus hoc observatur, eum tertium, vel quartum diem non supervicturum intrepide pronuntiabis.

Sectionis 4. Aphorismus 67.

IN febribus per somnos pavores, aut convulsiones, *malum*.

In febribus (continuis) per somnos (in febrim declinatione subortos, ita ut nulli ineuntis paroxysmi, aut alicujus visceris inflammati excusatio adferri possit, nam qui ineunte paroxysmo oboriuntur somni turbulenti esse solent nec tamen propterea mali) pavores (quales sæpissime in pueris ex vaporibus ex lacte corrupto & in melancholicis ex succo melancholico putrescente, ortis, & ad cerebrum delatis, observantur) aut convulsiones (seu nervorum retractiones) *malum* (significat enim acriorum, & calidiorum vaporum ex adusta bilis fuligine ortorum, ex præcordiis,

diis, ad caput metastasin. Hi vapores facile, quia nervorum genus immodicè calefaciunt, & exsiccant, tales nervorum retractiones excitare possunt, fitque hoc potius per somnum, quia tunc materia intro viam affectans, à calore febrili calefit, agitur, attenuatur, & tandem in vapores resolvitur.

Sectionis 4. Aphorismus 68.

In febribus spiritus offendens, malus est; convulsionem enim significat.

Quid spiritus offendens?

In febribus (acutis, & vehementibus) spiritus offendens (seu spiratio cespitans, & intercilia, qualis in pueris plorabundis, & singultuosis. Celsus lib. 2. cap. 6. vocat spiritum in faucibus elisum) malus est, nam convulsionem totalem ex nervorum & musculorum thoracem moventium siccitate ortam) significat.

Sectionis 4. Aphorismus 69.

Quibus non sine febre urinæ sunt crassæ, grumosæ, & paucæ, si ab his tenues, & copiosæ mejantur, profunt. maxime vero tales redduntur, quibus statim ab initio, vel non ita multo post sedimentum inest.

Quibus non sine febre (ita ut nulla nephritici doloris excusatio adferri possit, in febre non admodum vehementi, sed lenta, à crassis, crudisque humoribus orta) urinæ (primo) sunt crassæ (ob crudi, & frigidi humoris copiam, tum) grumosæ (dispersis scil. enæorematis, ita ut urinæ quibusdam partibus dispersæ & glomeratæ appareant quomodo sæpius ce-

lum nubibus, quasi gradibus quibusdam con-
 ductum apparet; quod fit, quia partes urinæ
 crassiores à calore, & flatibus agitantur, & à
 tenuioribus separari incipiunt) & pauca (ob
 materiæ contumaciam & viarum urinariorum
 obstructionem (si ab his tenues & copiosæ eman-
 tur. h. e. solito tenuiores; materia enim crassa
 à calore nativo attenuatur, & quasi funditur,
 viæque obstructæ referantur) profunt (libe-
 rant enim ab abscessu. Huic non contradicit
 Hippocrates libello de iudicationibus, cum
 inquit, si urinæ ex crassis tenues evadant, & om-
 nino tenues eæ difficilem & minime certam fa-
 ciunt iudicationem. Nam in hoc libello agit Hip-
 pocrates de urinis tenuibus, simpliciter sic
 dictis, quæ omnino sunt crudæ, in hoc vero
 aphorismo de urinis non simpliciter, sed cum
 collatione ad grumosas tenuibus, quæ inter
 crassas, & tenues mediæ sunt.) Maxime vero
 tales redduntur, quibus statim ab initio (h. e. in-
 tra primos quatuor dies (vel non ita multo post
 (h. e. septimo die) sedimentum inest (in his
 enim calor natus viget, materia morbifica
 à natura domatur, partesque solidæ antiquum
 robur recipiunt. Si vero urinæ crassæ perseve-
 rant, vel morbi longitudinem, vel calamita-
 tem, præsertim si signa prava ad virium infir-
 mitatem adfuerint, ob difficilem admodum,
 vel nullam concoctionem, significant.

Objicit.

Diluitur.

Sectionis 4. Aphorismus 70.

Quibus per febres urinæ perturbatæ, qua-
 les jumentorum, iis dolor capitis vel ad-
 est, vel aderit.

Quibus

Quibus per febres (essentiales, ita ut affecto-
rum renum excusatio adferri nequeat) *urinæ*
perturbatæ quales *jumentorum* (urinæ, quæ quie-
te non redduntur claræ, nec in quibus quic-
quam relidet) *is dolor capitis* (tenivus) *vel ad-
est, vel aderit.* (hæ enim urinæ humorum cru-
ditatem, & crassitiem spiritumque flatulen-
tum significant, qui calore febrili sursum ela-
tus caput replet; his sæpè delirium, & con-
vulsiones seu manuum, reliquorumque mem-
brorum saltus palpebrarum nictationes, &
eum virium debilitate, febreque validâ,
mors ut plurimum superveniunt: si vero vires
integræ & robustæ fuerint, hujusmodi urinæ
morbi diurnitatem portendunt, sæpiusque
morbus vel ad quadragesimum diem protra-
hetur. Tales urinæ sæpius in febribus petti-
lentialibus apparent. Non tamen est necessa-
rium, ut, si quis capite doleat, tales semper
sint urinæ, dolor enim fit vel solo calore, vel,
ex flavâ bile sive in capite, sive in ventriculo
contentâ vel ex copia humorum caput re-
plentium, nullus horum dolorum talem urina-
nam habet.

Exceptio.

Sectionis 4. Aphorismus 73.

Quibus sublata hypochondria murmurant,
lumborum superveniente dolore, iis al-
vi humectantur nisi inferne flatus erumpant,
aut urinæ multitudo prodeat: Atque hæc in
febribus.

Quibus hypochondria sublata (recens sc. si e-
nim vetus eorum fuerit tumor, cum borbo-
tygmo, seu murmure, à flatu humiditati per-
mixto

mixto, in loco cavo, ut intestino agitato, orto, tenuium intestinorum hecticam intemperiem significabit, metumque hydropis ficci, seu tympanitidis adferet, nam 4. aphor. II. *Quibus tormina adsunt, & circa umbilicum cruciatus, & lumborum dolores, qui neque medicamento, neque aliter solvuntur, in siccum hydropa firmantur.* Si vero fuerit sine borborygmo scirrhum indicabit. *murmurant* (sine dolore, sine phlegmone, aut sine ulla aliqua peculiari viscerum hypochondrijs contentorum affectione ex solâ materia in flatus conversa) *lumborum* (non musculorum lumbarium, tum exteriorum, tum interiorum, sed lumbis contentorum viscerum, scil. renum, & eorum intestinorum, quæ sunt ad lumbos, ut cæci & coli intestini partis renibus annexæ) *superueniente dolore* (materia scil. ad eas partes delata (iis alvi humectantur (& fluunt, eo enim natura vergit.) nisi inferni flatus (qui borborygmos illôs, & murmuraciones illas hypochondriacas excitabant) *erumpant* (flatus vero in febribus gigni, nemini mirum videri debet, in febricitantibus enim cibi ab imbecilli nativo, & febrili calore minus recte coqui & digeri possunt, unde in flatus & vapores facile resolvuntur) *aut urine multitudo prodeat* (materiæ scil. illius ad vesicam delatione. Hæc urine evacuatio alvinam evacuationem impedit. Hinc rectè dicit Hippocrates 4. aphor. 83. *miæctus noctu plurimus parvam dejectionem significat.*) *Atque hæc* (accidunt) *in febribus* (non symptomaticis, sed essentialibus pituitosis, quæ focum suum in alvina regione habent, dum enim hæc alvina materia pe-

E palmo

*Vnde in
febribus
flatus?*

pasmus mitescit, & calore attenuatur, transit in flatum, qui hypochondria inflantes, & atollentes borborygmos illos, in illis efficiunt. Si vero in hypochondriis elatis borborygmi illi non adfuerint, alicujus visceris hypochondrijs contenti phlegmone suberit.

Sectionis 4. Aphorismus 74.

Quibus spes est articulos abscessum futurum, abscessu liberat urina multa, crassa, & alba reddita: qualis in febribus cum lassitudinis sensu quarto die quibusdam exire incipit. Quod si ex naribus etiam sanguis profluxerit, brevi admodum solutio fit.

Quibus spes est ad articulos abscessum futurum, ut quibus urinæ perpetuo manent crudæ, & albæ, quibus artus doloribus sunt impliciti, & quidem, si venæ micent in temporibus, facièsque fuerit turgidiuscula cum pallore, abscessus erit pone aurem) abscessu liberat urina multa (paucum enim non est criticum, tota enim materia morbifica expurgari debet) crassa (quia una cum parte materiæ coctæ, cruda & inconcocta excernitur) & alba (ex materiæ pituitosæ admixtione) qualis in febribus cum lassitudinis sensu, (quæ non ex vehementi aliquò motu, aut exercitio, ut si quis diuturnitate sub sole sese exercuisset, hæ enim febres omnes sunt biliolissimæ, quæ non per abscessum, sed vel per sudores, vel per hæmorrhagias, vel alias evacuationes solvuntur; sed ex lenta, crassa frigidâque materia ortæ sunt) quarto (vel alio quovis critico) die, quibusdam exire solet. Quod si cum hisce scilicet, urinis) ex naribus

anaribus etiam sanguis profluxerit, brevi admodum solutio fit (sic enim tota materia morbifica expellitur; cassior, & frigidior ejus pars per urinas, tenuior vero, & calidior per nares.

Sectionis 5. Aphorismus 5.

Sebrius quispiam derepente obmutescat, convulsus moritur, nisi febre corripiatur, aut ubi ad horam pervenerit, quâ crapulæ solvuntur, vocem recuperet.

Si ebrius quispiam de repent obmutescat (cuncta motus, & sensus privatione, crassis scilicet vaporibus arteriarum carotidarum, plexusque choroidis poros, vias, per quas spiritus à sanguine separatus cerebrum ingredi solet, obstruentibus; qui affectus non est apoplexia, hæc enim à crassis & frigidis humoribus, principium nervorum in cerebro obstruentibus, oritur, ei tamen perquam similis est, nam sensum, & motum non omnino, ut apoplexia, tollit, sed stuporem tantum inducit, nec in paralytin, sed in spasnum, seu convulsionem definit, qui affectus, quoniam vapores facile discuti possunt, solutu est facilius. apoplexiam enim fortem solvere est impossibile, levem vero non facile. 2. sect. aphor. 42.) convulsus (non particulari, sed universali convulsione, nervi enim nimio humore & crassiore vapore repleti, non aliter ut citharæ chordæ aëre existente humido versus suam originem contrahuntur) moritur (nervorum enim & musculorum convulsione actiones ad vitam necessariæ ut est respiratio, impediuntur, unde tandem mors sequitur.) nisi febre corripiatur.

sur (hujus enim calor coquendo, incidendo, & attenuando materiam illam nervos replentem discutit, & consumit. Idem Hippocrates section. 2. aphorismo 26. testatur, cum inquit *febrem* convulsioni scil: ex repletione, ut supra pag. 18. diximus; supervenire satius est.) *aut ubi ad horam pervenerit qua crapulae solvantur.* (quæ pro vini conditione, & ægri peculiati natura, varia est, apud Græcos qui crasso utebantur vino id secundo, aut tertio die fieri solebat, apud nos ut plurimum est tantum octo, vel decem horarum unica enim nocte crapulam edormimus) *vocem recuperet.* (Hic casus apud nos, licet ebrietas satius sit frequens, admodum est rarus, sæpius nostri in apoplexias, tum fortes, tum debiles, quæ in paralyfin desinunt, incidunt; sæpius etiam nostri, præsertim spiritus vini potatores, ex acrioribus vaporibus exagitatis, & ad nervos, vel ad cerebrum delatis, illisque molestis in manuum tremores, nervorum subsultus, & tandem in epilepsias incidunt.

Sectionis 5. Aphorismus 17.

FRigidum vero *invehit* convulsiones, tetanos, nigrores, & rigores febriles.

Frigidum vero invehit, convulsiones, tetanos, nigrores & rigores febriles (excremento sc: insensibili propter pororum, quibus exhalare solet, à frigore constrictionem retento, quod putrescens, & præter naturam incalescens febrem excitat.

Sectionis 5. Aphorismus 20.

Rigidum ulceribus mordax, cutem obdurat, dolorem insuppurabilem facit, nigrores, rigores febriles, convulsiones, & tetanos.

Eadem hujus quæ 17 sectionis. 5. ratio.

Sectionis 5. Aphorismus 55.

Quæ gestantes uterum febribus corripuntur, & vehementer sine evidente causa, extenuantur, & difficulter, & cum periculo pariunt, aut abortientes periclitantur.

Quæ gestantes uterum febribus corripuntur (acutis, & putridis) & vehementer sine evidente causa extenuantur (quales evidentes causæ sunt mœror, lapsus, ictus, vigilia, inedia, diarrhæa, sanguinis effusio, purgatio &c. quæ extenuatio quiete, cibo, somno, aut aliis præfidiis medicis brevi uno scil. die reparari potest, sed vi febris substantiam corpoream consumentis, quam extenuationem non potest non sequi summa virium imbecillitas.) eæ difficulter, & cum periculo pariunt (môtus enim prout & fœtus vires ad felicem partum non erunt satis vegetæ, non sufficient, prætereaque ardore febris aquis illis puerperialibus, quæ vias molles, lubricas, & laxas reddunt, eo enim sine partui præmittuntur, consumptis viæ resiccatae sunt) aut abortientes periclitantur (quia mater & fœtus suo defraudati genio debiliores sunt redditi, unde abortus; & mater debilitata, tam insignium evacuationum,

uationum, quales sæpius abortionibus conjuncta sunt, impatiens, illico sæpe moritur.

Sectionis 5. Aphorismus 61.

SI mulieri purgationes non prodeunt, neque horrore, neque febre superveniente, cibique fastidia ei accidunt, prægnantem esse putato.

Si mulieri (singulis mensibus repurgari solitæ) purgationes non prodeant (menstruales, ita ut nulla suppressionis causa, sive à vitio uteri, sive à copiâ sanguinis diminuta, sive ab inediâ, sive à mœrore, sive ab obstructione aliquâ desumpta dari possit) neque horrore (non à causa externa ut frigore, sed ab internâ, motu scilicet & insultu humorum restagnantium in partes membranosas orto) neque febre (ex sanguinis mensibus expurgari soliti, sed retenti corruptione, & putredine excitata) superveniente, cibique fastidia ei accidunt (& oculi caventur, mammæque paulatim turgeant) prægnantem esse putato.

Sectionis 5. Aphorismus 64.

LAc præbere capite dolentibus, malum; malum vero & febricitantibus, & quibus hypochondria elata, aut murmurantia, & fisticulosis. Malum item quibus biliosæ dejectiones, febres acutæ, & copiosa sanguinis evacuatio facta est. convenit vero tabidis non admodum febricitantibus lac præbere, & in febribus longis & languidis, dum nullum ex supra dictis signis adsit, præter rationem extenuatis.

Lac præbere dolentibus malum (sua enim substantia caseosa est flatuosum, butyrosâ vero biliosum, hinc vapores aciores ad cerebrum delati, ejusque membranas distendentes, ferientes, ac pungentes non nisi dolorem augere possunt.) *malum vero & febricitantibus* (lac enim si detur in ventriculo impuro, & impense calido, qualis est febricitantium ventriculus, corrumpitur, putrescit, facileque in bilem, & nidorem convertitur, quæ febrile incendium non nisi magis accendere, & fovere possunt) *& quibus hypochondria elata* (seu tumefacta) *aut murmurantia* (lac enim humidis & liquidis excrementis, quibus, qui hypochondria inflata habent, abundant permixtum, abit in flatus, qui murmurationes & borborygmos illis magis & magis augebunt, nec tamen, licet borborygmi non adfuerint, proderit, tum enim hypochondria vel phlegmone, vel erysipelate, vel scirrho, vel alio aliquo tumore tument cum vasorum obstructione, unde lac in primâ regione diutius contentum, facile corrumpitur) *& siticulosus* (quibus scil. sitis ex immodico ventriculi, partiumque ventriculo vicinarum calore orta est, in his enim calore illo nimio lac in nidorem, & bilem priorem calorem augmentem convertitur) *malum item quibus biliosæ dejectiones* (non simplices, in his enim lac temperat & retundit acimoniam humorum, quare etiam sæpius in dysenteria scil. simplici, ab acri & bilioso humore orta utiliter clysteribus admiscetur, sed acutis febribus comitatæ, in hisce enim lac calore febrili in bilem tran-
fiens, acrimonia sua novas fluxiones excitat;

sic sæpissimè videmus in magnis oculorum inflammationibus, lacte muliebri oculos magis, magisque inflammari) *febres acutæ & copiosa sanguinis evacuatio facta est* (qua tota corporis œconomia refrigerata est, in his enim lac non concoctum facile accescit, frigidumque ventriculum frigidiorum reddit. Si vero partes nutritioni dicatæ non fuerint nimium refrigeratæ, sed corpus tantum malè coloratum redditum, hinc ad regenerationem sanguinis lacte nil præstantius, facile enim alteratur, coquitur, & per totum corpus ob suum serum distribuitur) *Conuenit vero tabidis non admodum valde febricitantibus lac præbere* (ob serosam enim suam substantiam refrigerat, pulmonum ulcera repurgat, humorum acrimoniam obtundit, facileque, modo ventriculus sit satis vegetus adhuc, ut illud concoquere possit, digeritur: Si vero æger multum febricitaret, ipsi obesses, nimio enim febrili calore corrumpèretur, putresceretque, & sic febrem magis accenderet, ut supra dictum, & sua acrimoniam majorem ad pulmones fluxionem excitaret) *& in febribus longis & languidis* (in quibus non vehemens calor adest) *dum nullum ex supra dictis signis adsit* (hæc enim usum lactis prohibent) *præter rationem* (h. e. alia ratione, quam pulmonum exulceratione, diuturno scilicet morbo seu potius febre hectica, hæc enim est longa & lenta remissaque, adeo ut, qui eam detinentur, se febricitare nesciant, nullumque calorem, quia totum corpus æqualiter calefactum est, percipiant) *extenuatis* (facile enim, ut dictum, restaurat.

In legitimo lactis usu hæ cautiones obser- *Cautiones*
vanda. *in lactis*

Sit nuperrimè multum, & adhuc repi- *usu obser-*
dum, vel si tam mature haberi non potest *vanda.*
prius coctum, & tum bibatur, idque mane,
vacuo ventriculo, alvoque ac vesica evacua-
tis; corpus sit meabile, alioquin cunctando,
facile putresceret, nullus cibus super inge-
ratur, donec exactè coctum sit, alioquin,
si nondum eo confecto novum assumatur ali-
mentum, præterquam quod ipsummet pu-
trescat, etiam quicquid adjeceris, corruppe-
tur: quiescendum ab ejus potu, aut parum
saltem, interjectis quietibus deambulandum,
non superdormiendum, nisi summa ventri-
culi partiumque nutritioni dicatarum imbec-
illitas id postulet, tunc somnus conducet,
ventriculi enim concoctio caloris nativi ad
interiora regressu melior, & ejus per totum
corpus felicior fiet distributio: æger non fit
biliosus, nec ventriculo frigidus, sed ficcus,
siccitatem enim hac suâ humiditate facile cor-
rigit.

Sectionis 5. Aphorismus 70.

Qui quartana corripuntur non admodum
convulsionibus tentantur: si vero prius
tentati fuerint, superveniente quartana, li-
berantur.

Qui quartana corripuntur, non admodum con-
vulsionibus tentantur (tum propriè dictis, nec
ex inanitione, seu ex exhaustu, quartanæ
enim periodus est 72. horarum, ejusque pa-
roxysmi tantum 12. vel 16. intermissiones

vero 56. aut 60. unde in ea nullus, vel parvus admodum exhaustus oriri potest, tempore enim intermissionis, seu *intermissionis* satis in locum dissipati restaurari potest; nec à repletione, singulis enim paroxysmis aliquid materiæ morbificæ excluditur: tum epilepticis, frigus enim melancholicæ materiæ, ejus, si quæ adesset, acrimoniam obtundit) si vero *prætentati fuerint* (convulsione, vel epilepsia) *superveniente quartana liberantur* (tardo enim, & diuturno illo quartanæ calore, convulsionis, vel epilepsie materia lenta, cruda, & frigida calefit, attenuatur, excretionique apta redditur, quam horror, qui in quartanâ satis est vehemens, superveniens excernit.

Sectionis 5. Aphorismus. 71.

Quibus febre acuta correptis, arida & dura cutis obtenditur, sine sudore moriuntur: quibus vero laxa, & rara, cum sudore vitâ defunguntur.

Quibus febre acutâ correptis, arida, & dura cutis obtenditur (quæ antea mollis erat) *sine sudore*) humiditatis scil. quæ in sudorem converti solet, consumptione perfectaque extenuatione & exsiccatione inductâ) *moriuntur* (tremore scil. & nervorum retractione præcedente) *quibus vero laxa, & rara* (si scil. alia lethalia signa febri conjuncta fuerint.) *vitâ defunguntur cum sudore:* (summa enim facultatis retentricis imbecillitas subjectum humorem retinere non potest, quare humor ille, quia cutis pori patent, facile elabitur.

Sectionis 6. Aphorismus 3.

IN longis intestinorum difficultatibus cibi fastidium malum, & cum febre pejus,

In longis (ab initio enim nonnulli dysenteriae ob copiosum pituitae, acrioris illius materiae, quae famem excitare solet, acrimoniam, & ventriculi sensum obtundentis affluxum, cibum sine periculo fastidiunt) *intestinorum difficultatibus* (seu dysenteriis, ex humoribus biliosis, salsis, aut acris, non putrefactis, intestina exulcerantibus, ortis) *cibi fastidium, malum* (ventriculo enim materiam sursum serpente, eumque insensibilem, & quasi praemortuum reddentem communicari significat, unde alimenti, quo naturae vires, diuturna illa excretionem debilitatae, restaurandae sunt, coctio tollitur, hinc vires magis magisque ita debilitantur, ut tandem mors sequatur.) *Et cum febre pejus* (calore enim febrili vires adhuc magis & magis dissolvuntur, significatque humorum putredinem, maximamque intestinorum inflammationem adesse, tum aeger cum sudore frigidum morietur.

Sectionis 6. Aphorismus 26.

Quibus in febribus ardentibus tremores fiunt, his delirium solvit.

Quibus in febribus ardentibus tremores (h. e. motus, quibus membrum ob gravitatem deorsum à facultate vero sursum fertur) *fiunt* (sive in principio propter virium resolutionem, vel causae vehementiam, & malignitatem, qui tremores ut

res ut plurimum sunt lethales : si vero orti fuerint ob multitudinem materiæ aggravantis nervos, & naturam, non erunt lethales, & hos detracto sanguine facilè tolles; sic enim natura multitudine opprimente levatur, sive post initia fuerint suborti; signum enim est quod vis motrix admodum sit imbecilla. Hic tremores sunt convulsionis ex nervorum exsiccatione ortæ principium, unde etiam *crasmodius* dicuntur) his *delirium* (superveniens, febres illas ardentes) *solvit* (non ad salutem, sed ad mortem, ita ut mors delirium excipiat. materia enim febrilis non tota, sed ejus pars ex venoso genere ad nervos, & inde ad eorum principium, scil. cerebrum ejusque membranas transfertur, unde delirium, & totius corporis resolutio, quæ mors est.

Si in febribus ardentibus cum arteriam manu explores, pollice in adversa ægri manus parte sentias subsultantes nervos, illud, præsertim si morbi initium præterit, lethale est.

Sectionis 6. Aphorismus 40.

Quibus ad hypochondrium dolor est sine inflammatione, iis febris superveniens dolorem solvit.

Quibus ad hypochondrium (vel similem aliquam partem minus nobilem, qui enim in capite aut in pectore fit dolor, febre superveniente tuto non solvitur, in capite enim est metus delirij, aut inflammationis desitutæ in abscessum, cui expurgando non satis expeditus patet exitus, vel cerebri sphacelum, qui sphace-

sphacelus intra triduum ægrum tollit, ut dicit Hippocrates sect. 7. aphor. 50, in pectore vero verendum est, ne febris superveniens in pulmonibus, vel in aliis thorace contentis partibus majorem inflammationem, majoremque febrem excitet) *dolor est sine inflammatione* (à crassâ scil. frigida, viscida, & flatuosa pituita ibi collecta) *iis febris superveniens dolorem solvit.* (calor enim febrilis crassam lentam, viscidam, frigidam, & pituitosam illam materiam attenuat, incidit, coquit, ad excretionem præparat, flatusque discutit, & dissipat.

Sectionis 6. Aphorismus 44.

Quibus à stranguria volvulus supervenerit, intra septem dies moriuntur, nisi febre superveniente copiosa urina fluxerit.

Quibus à stranguria (h. e. urinæ stillicidio absque dolore, à materiâ crassâ, copiosa, frigida, & flatuosa vericæ cervicem obstruente, unde vesica urinâ retentâ turgens subiectum iustestinum premit, orto, addo absque dolore, nam si dolor adfuerit, ejus causa non frigida, sed calida, & acris quædam materia erit, quæ ob suam acrimoniam vesicam ad expulsionem irritans, tantam in vesicâ, ut partes subjectas comprimat, distentionem excitare non potest) *volvulus* (seu ileos) *supervenerit, intra septem dies* (est enim ileos morbus acutissimus) *moriuntur* (dolorum scil. vehementia, & excrementorum retentione) *nisi superveniente febre* (non symptomatica ex vesicæ, vel vicinarum partum inflammatione ortâ, hæc enim

enim subjectum intestinum magis & magis adhuc comprimeret, sed essentiali, ea materia illius viscidæ, & frigidæ cervicem vesicæ obstruentis putrefactione ortâ, hæc enim flatus discutit, & materiam illam obstruentem attenuat, incidit, coquit, & ad exclusionem præparat) *copiosâ urina fluxerit* (sic enim omnis illa materia vesica contenta ex corpore expellitur.

Sectionis 6. Aphorismus 50.

Quibus divisum est cerebrum, his febrem, & biliosum vomitum supervenire necesse est.

Quibus cerebrum est divisum (seu vulneratum, ita tamen ut per foramen sanguis ille non exeat, sed in cerebro maneat, si vero omnis sanguis vel suâ sponte, vel arte effluxit, febris sæpius non supervenit) *his febrem* (sanguis enim extravasatus (*sect. 6. aphor. 20.*) in cerebro putrescit, unde cerebrum inflammatur, febrisque oritur, non quidem statim in principio, sed post initia, scil. 4. 7. 9. 11. 14. vel alio quodam critico die, est ut plurimum febris hæc lethalis) & *biliosum* (non strictè, quam late dictum, ita ut sub se comprehendat, quicquid in ventriculo fuerit, sive in eo genitum, sive eo transmissum, sive fuerit bilis, sive pituita, sive serofus humor, sive etiam ipse cibus & potus) *vomitum* (illico ab illato vulnere, sæpe per dimidium diem durantem, ex sympathia ventriculi cum cerebro per nervi sextæ conjugationis communicationem) *supervenire necesse est.*

Sectionis 6. Aphorismus 61.

Qui valentes, capitis repente doloribus corripuntur, & protinus muti fiunt, & stertunt, intra septem dies intereunt, nisi febris eos prehenderit.

Qui valentes, capitis repente doloribus corripuntur, ut si liberalius biberint, eò scil. translato crasso, & flatulento vapore, qui caput feriens, cerebri membranas distendendo, vehementem illum dolorem excitat) & protinus muti fiunt (ita tamen ut cum voce simul & sensu & motu priventur, aditus enim ad cerebrum interclusus est spiritibus naturalibus, ex quibus spiritus animales, qui nervos ingredientiæ & sensationem, & motionem efficiunt, generantur, scil. ob pororum arteriarum cotidarum, per quos spiritus cerebrum ingrediuntur, à crasso, frigido, & flatulento vapore, obstructionem) & stertunt (gutturis scil. musculis delabente pituita oppressis, unde libere, ut solebant, sese movere non possunt.) intra septem dies (universali paralyfi correpti, apoplexia, quæ stertorem excipit, in paralyfin definit) intereunt, nisi febris eos prehenderit (hujus enim calore materia illa vaporosa obstruens, spiritibusque ad cerebrum aditum intercludens, attenuatur, inciditur, & tandem dissipatur, atque ita rursus spiritibus naturalibus ad cerebrum via facta est. vide supra. pag. 67. 2. sect. aph. 5.

Sectionis 6. Aphorismus 54.

IN morbis acutis cum febre luctuosa suspiria ; mala.

In morbis acutis cum febre luctuosa suspiria (qualia sunt in gementibus & pueris ejulantibus, cum duplici scil. spiritus intro revocatione.) *mala* (designant enim asperæ arteriæ magnam siccitatem, & musculorum thoracicorum exsiccitate & inanitione ortam convulsionem, quæ lethalis esse solet. Hinc est, quod dixit Hippocrates 4. sect. aphor. 68. *in febribus spiritus offendens malum ; convulsionem enim significat.*

Sectionis 7. Aphorismus 31.

Quibus per febres in urinis sedimenta crassiorum farinam referunt, longam invaletudinem fore significant.

Quibus per febres in urinis sedimenta crassiorum farinam referunt (si fuerint rubra, & orobis similia sunt enim signum sanguinis, & hepatis, nec non renum colliquatorum ; si nigriora splenis ; si alba pinguedinis, ardore febrilis exiquestentis ; si vero alba lenta, & viscida fuerint, corpus vitrea, & crassa pituita abundare indicant. Hæc pituita aliquando à natura elaboratur, & coquitur, & tunc minguntur urinae crassæ, instar crystalli fusi, aut humoris aquei ex virulino oculo effusi.) *Longam invaletudinem* (si scil. vires validæ fuerint, estque talis urina ab admixtione pituitæ : lentus enim & viscidior ille humor non nisi longo tempore elaborari

elaborari & concoqui potest, & tunc urina solet esse tenuis: Si vero vires fuerint debiles citam mortem) significant (si vero urina talia habuerit sedimenta, ex eo, quod ardore febrili partes colliquefcent, urina pinguis, & oleaginosa præcedere consuevit, furfuracea subsequi, tandem farinacea, & tum certa mors imminet.

Sectionis 7. Aphorismus 32.

Quibus vero in urinis biliosa sedimenta, sed supra tenuia apparuerint, acutum morbum significant.

Quibus vero (febricitantibus) biliosa (h. e. aurei, aut citrini coloris) sedimenta (in medio urinæ suspensa) sed supra tenuia apparuerint, acutum morbum (ex tenui bile, quæ in illo corpore abundat ortum & brevem) significant (quo enim materia morbi est tenuior, & calidior, eo celerius movetur, & quo celerius movetur, eo morbus est acutior, & brevior.

Sectionis 7. Aphorismus 37.

Qui sanguinem vomunt, si sine febre accidat salutare est, si cum febre malum. Curatio vero refrigerandi, & adstringendi vim habentibus perficitur.

Qui sanguinem vomunt, si sine febre accidat (indicium enim est, in illo loco, unde sanguis emittitur, nullam adesse inflammationem. Sed vel vas aliquod apertum, vel simpliciter erosum esse.) salutare est (hoc est,

minus malum, nam ut bene inquit Hippocrates 4. sect. 25. aphor. *sanguinem superne efferrī, qualiscumque sit, malum*, metus enim est, ne sanguis reliquus extravasatus in ventriculo, vel thorace moram trahens, putrescat, febrem incendat, partemque continentem corrumpat, unde tabes, & tandem mors) *si cum febre malum* (h. e. deterius, designat enim hepar, vel lienem febrili calore valde debilitatum, & labefactatum esse, vel partibus illis magnam inflammationem adesse, vel venam sanguinis calore, & copia, vel acrimoniā ruptam, vel exesam esse, quæ omnia periculi sunt plena.) *Curatio vero refrigerandi & adstringendi vim habentibus perficitur.* (hisce enim sanguinis calor extinguitur, acrimonia obtunditur, vena occluditur, & ulceri cicatrix obducitur.

Sectionis 7. Aphorismus 42.

SI febris sit non ex bile orta, multa aqua
 Scaldita capiti superfusa febrem solvit
Si febris sit non ex bile (h. e. non putrida, non humorosa per synecdochen speciei pro genere, nec symptomata, sed hectica, vel ephemera, vel synochos sine putredine, quæ est sanguinis effervescencia tantum, & simplex inflammatio, quæ phlogosis dicitur) *orta, multa aqua calida capiti superfusa febrem solvit.* (humeat enim, & propter moderatum calorem adjunctum, non multum calefacit, sed refrigerat potius, poros scilicet corporis aperiendo, unde calor exhalare potest. Si vero putrida, vel humorosa fuerit febris

febris putredine non vacuata, necdum concocta, non proderit balneum, sed nocebit, humores enim attenuati, & liquidiores redditi, facile in partem aliquam nobiliorem ruerunt, atque ita pejus malum, scilicet obstructionem, vel inflammationem parerent.

Huic nihil *obstat*, quod Hippocrates 6. Epid. *Object'oni.*
sect. 5. ante sumptionem helleborilotionem, seu balneum suadeat, *Satisfit.* nam ibi non quoslibet, non tenues, sed crassos intelligit humores, qui aquæ calidioris lotionem attenuantur, & funduntur, atque ita exclusioni præparantur, quos humores sic præparatos, ne in partem aliquam nobiliorem ruant, helleborus jam jam assumendus ex corpore educet. Verum in putridis & humorosis febribus humores sunt tenues, sunt fluidi, qui balneo, seu lotionem magis attenuarentur, magisque fluidi redderentur.

Sectionis 7. Aphorismus 52.

Quibus hepar vehementer dolet iis febris superveniens solvit dolorem.

Quibus hepar (h. e. regio in qua hepar situm est) dolet vehementer (scilicet sine febre, à flatulento vapore incluso, & exitum non habente, absque obstructione, cui quidem adest dolor, sed non tam vehemens, verum remissior, & absque inflammatione, absque erysipelate, hisce enim semper febris conjuncta est.) iis febris (quæ antea non fuit) superveniens, dolorem solvit, calor enim febrilis flatus illos discutit, & dissipat: vide sect. 6. aph. 40.

Sectionis 8. Aphorismus 3.

Quibus in febribus quartanis sanguis è naribus fluxerit, malum est.

Quibus in febribus quartanis (sive continuis, sive intermittentibus, sive ex melancholico succo, sive ex flavâ bile in atram exustione conversa, sive ex succo melancholico adusto, sive ex pituita, sive ex sanguine perusto, qui dum à fortiori causâ exsiccatus, vel exustione incineratus quasi, in humorem melancholicum transit, ut ex febrium erraticarum, & quotidianarum in quartanas commutatione patet, ortis) sanguis (sive parvus, sive multus) è naribus fluxerit, malum est (humor enim melancholicus, qui est crassus, gravis, terrestris, contumax, & ad motum piger, ubi jam concoctus & evictus est à natura, non sursum, sed deorsum viam affectat, quare multo minus ante suam concoctionem salutariter sursum movebitur, hinc patet sanguinem illum, qui per nares exit, non esse materiam morbi, non esse melancholicum, sed tenuem, & calidum, non expultricis robore, sed retentricis debilitate effluere, unde virium jactura suboritur, humorque melancholicus solus in corpore relinquitur, qui subtracto tenuiori & calidiori sanguine, qui ejus siccitatem, & crassitiam temperabat, à quo solo concoqui & evinci poterat, multo crudior, crassior, coctionique ineptior redditur, quam fuit antea:

CURA-

Vigore, omnes autem ejusmodi differentiae non in intermittentibus modo, verum & in continuis notantur. Nam saepe continuas videre licet biduum, atque etiam triduum, quaedam inaequalitate modo caloris, modo frigoris affligere.

Quocirca ex invadendi modo vix potest certo febris genus ullum dignosci,

*Quid in pri-
ma inva-
sione, faci-
endum?*

At nihilominus, quum jam illa vel frigore, vel calore, vel symptomatis molesta esse coeperit, lenioribus quidem subsidijs, quoad licet, *leniri* debet, ac deinde deposito, ac remisso primi impetus fervore, antequam propriam curationem aggrediare, febris species, atque magnitudo exploranda.

*Quomodo
febris spe-
cies agnos-
cenda?
Synochi?*

Raro quidem contingit, ut citra ullam remissionem, vel assiduo increseat vel biduum eadem magnitudine persistat: quod tamen si obtigerit, *Synochi* species quaedam putanda. Ubi igitur febris vel eodem, vel postero die, sese remittit, videndum qua ratione factum.

*Intermit-
tens.*

Si impetus, qui ab horrore, aut rigore invaserat, copioso, universoque sudore fit remissus, eoque detereso febris prorsum desinat, pura, & simplex est *intermittens*, cujus speciem postero die cognoscēs. Sin vero febris à sudore perseverat, implexus est continua, & intermittens; praesertim si haec diu permaneat illius conditio. Fere tamen longiore progressu ea vel in simplicem intermittentem, vel in continuam degenerat. Ita quidem plerumque febres per initia ambigunt, & ancipitis naturae quum sint, in alterutrum postea genus divertunt.

Si sudor nullus emanavit, simplex est *continua*?
tinna, licet ab horrore quodam initium fe-
 cerit: ea autem, *causus ne* sit, an *continua*
conclusa, ex impetus vehementia, atque et-
 iam ex propriis signis internoscendum. An
 vero *continua tertiana*, tertius id postea dies
 certo patefaciet.

Si tum cœli status pestilens infestat, suspi- *Pestilentis?*
 cio sit, ne *continua* hæc vulgaris *malignitatis*
 sit particeps, atque tum in propria illius si-
 gna sedulo intendendum, quod omnibus
 morbis prope illa insidietur.

Lenta porro febris obscura admodum in- *Lenta?*
 itio, nec nisi dierum progressu agnosci po-
 test, ac tum laborans sibi vires imminui sine
 febre putat. De hac etiam observandum ex
 viscerum constitutione, nunquid tandem he-
 cticæ quandam speciem minetur.

Symptomatica, quoniam aliorum affectuum, *Sympto-*
 ur pleuritis, peripneumoniæ, hepatitis, *matica?*
 & similibus comes est, ex eorum signis de-
 prehenditur. Quamquam primarii illi affe-
 ctus, quemadmodum vomica pulmonum,
 & hepatis diu plerunque latent incomperi.
Symptomaticæ febrim primariam nonnunquam
 permiscetur, quum ante partis affectum, la-
 borans se febricitasse sentit.

Ex iis igitur, atque ex propriis signis cu- *Quomodo*
 jusque febris species die saltem secundo di- *magnitudo*
 gnoscenda: ac tum quoque ejus, quacum- *febris?*
 que specie fuerit, *magnitudo* spectanda. In-
 telligitur autem febris *magnitudo* ex impe-
 tus vehementia, quemadmodum & *mos?*
 ejus ex malignitate. Nam in unoquoque
continuarum genere interdum mitis, inter-

dum vehemens febris existit.

Causa?

Causæ præterea ejus magnitudinis ex iis, quæ antecesserunt investigandæ, si febris nullâ evidente causa, sed sponteprehendit, & antequam hominem adoriretur, corporis gravitas, lassitudo, vigilia, inappetentia, nausea afflixit: si impuram, & improbam vivendi rationem diu laborans exercuit: si consueta quædam & utilis evacuatio jam diu suppressa est: interior ea humoris causa, quæ febrem fovet, multa copiosaque est: pauca vero, si contraria præcesserint.

Quomodo febris causa?

Quisnam autem is humor sit, simplexne, an mistus, ex iis, quæ de proprii humoris dominio olim prodita sunt, percipi debet.

Ejus sedes.

In quam autem maxime corporis partem humor febris causa (is vero fere coercetur in venis majoribus) incumbet & impetum faciet, symptomatum species ostendet.

Præcordia

Quum enim aut nausea, aut vomitio, aut ventriculi, atque præcordiorum dolor, aut tensio, atque gravitas, aut inappetentia, aut oris amaror vehementer laborantem fatigat, morbus præcipue in *hepar*, atque præcordia impetum facit.

Vena majores.

Quum lumborum gravitas, aut renum dolor, vel ardor, in *venam majorem*, quæ lumbis incubat.

Cor, & vena cava.

Quum vehemens cordis æstus, & spirandi difficultas cum pectoris laterumve gravitate, in *cor & venam cavam*, quæ illi assistit.

Caput & cerebrum.

Quum vehemens capitis dolor, aut temporum pulsatio, aut vigiliæ, aut gravitas, aut cataphora, in *caput*, & *cerebrum*.

Quum denique artuum gravitas, aut lassitudo,

tudo, aut summarum, & externarum partium dolor, *in corporis ambitum*. Hæc vero non initio solum, sed & toto morbi decursu accuratius observanda.

corporis ambitus.
Gal. 1. ad
Glauc. 1.
Quomodo corporis constitutio?

Tertio autem quum febris species, atque magnitudo innotuerit, *laborantis constitutio* exquisite tenenda. & quibus is præcipue morbis olim fuit oportunus: nam quod vitium aut in jecore, aut in liene, aut in ventriculo contactu, aliisve signis percipiatur, numve mala quædam affectio aut renes, aut pulmones aut caput obsideat. Ac tum quoque de his, quæ dixi symptomatis perpendendum, an ex propria febris, & causæ ejus essentia, ane ex veteri quadam vitiosa constitutione procedant: his quippe neglectis curatio nulla recte instituitur.

Jam vero iis ad unguem exploratis, *cura* quædam ineunda. si parum vehemens, acutave febris conjicitur, dies secundus non sine vacuatione prætereat: sæpe enim ab exordiis levioribus incrementa magna morbi capessunt. Non solum igitur in valde acutis morbis, quorum materia turget, *Hippocratis* more (cui vehementiora duntaxat medicamenta innotuerant) verum etiam in quovis modo acutis, utiliter statim initio vacuandum. Secundus dies, quod fere tranquillior sit, vacuationi accommodus: cui tamen præparatio sub primi finem syrupis, aut clystere sit præmissa. In morbis autem lentis, ac levibus, non æque festinanda vacuatio: sed cunctari, ac superfedere licet, dum certius constet de morbi genere: præsertim, si vel

Quæ cura initio debetur?

1. Aph. 241

ægroti conditio, vel ætas, vel cœli constitutio non facile vacuationi consentit.

Si primis diebus quavis occasione prætermiffa sit evacuatio, quoquo primum tempore sis accersitus, quasi incipienti morbo remedia decernes, omnibus quidem exploratis quæ initio investiganda esse dixi. *Hætenus Fernelius.*

Diatæ requisita

Victus juxta Aphor. 16. lib. 1. humidus febricitantibus convenit. Ut vero victus humidus sit, requiruntur hæc quatuor, imbecillitas, fitis carentia, concoctu facilitas, atque liquiditas. debet esse victus *imbecillis*, h. e. alienæ qualitatis expers, qui non est fortis, neque acrimoniam aliquam relinquit in stomacho, neque vapores attollit ad caput.

Hujusmodi cibus quoque frigidus est, ac proinde febrim omnino contrarius, quæ calida, & sicca est intemperies.

Fernel. eur. feb. mot. gen. cap. 11.

Galen. 10.

M. cap. 5.

Ætius

cap. 76.

Avicen. 6.

8, 9 10.

Quomodo

cibus fiat

frigidus.

Quomodo

corpus ex-

Summa refrigerandi, nutriendiq; ratio in febribus.

Amplum, & quam maximo conclavi cubare debet, qui acutâ febre jactatur, quo multum purumque aërem ducere possit, eumque refrigeratum, abacta omni turba, & hominum frequentia, sparsa quoque versum aqua gelida, & aceto, stratis herbis frigidis, ut salicis foliis, vitis, lactucæ, nymphææ, rosarum, & violarum: odoribus quoque & rosis, violis, nymphæa, santalis, aqua rosarum stillatitia, & aceto, & camphoræ momento conspersis. Tum temporis non multis, sed admodum levibus vestibis tegendum corpus est, ne universe refrigerescat.

At si nihilo minus ardore nimio id torretur, in ipso vigore *æstuantibus partibus* hydrelæo perfun-

perfundentur, cujus oleum, & aqua permiscantur, donec albescant: huic & aceti sextans interdum adijci potest, & vice simplicis olei, rosatum, violatum, nymphatum, aut papaverinum substitui. Id autem jocinori, renibus, æstuantique capiti induci potest: idque tuto, si modo nulla tussis, nulla capitis, gravitas, nullaque destillatio mloesta sit, nec cataphora, profundiorve somnus obrepit. Epithema iisdem quoque partibus, atque cordi utiliter accommodatur, ex liquore stillatitio rosarum violarum, plantaginis, solani, nymphæ & aceti sextante in quibus santali, & camphora, aut pastilli albi Rhafis soluti sint. Ex iisdem quoque tracta Psyllij, vel cydoniorum mucago eximie opitulatur. observandum autem, ne hæc instante sudore corpori infideant, illiusque eruptionem cohibeant, brevemque morbum producant. quamquam longitudo interdum optabilior est acrimonia.

Interiora vero corporis si æstu, atque siti uruntur, lenienda sunt succo, vel aqua cucurbitæ, aut melonum, aut cucumeris, aut esu oxalidis, portulacæ, lactucæ, ex aceto, quæ aut crudæ sint aut aqua fervente contabuerint: aut si forte corroboratio quædam adstrictione petitur, succo mali punici acidi, aut limonis, aut citrii, aut cerasii, aut oxyacanthæ, aut oxalidis, aut uvæ acerbæ eoque vel puro, vel aqua diluto: horum enim, quam syruporum major refrigeratio.

Hæc ipsa alimenta quoque sunt, in quorum moderato usu olim veteres tenuissimum victum collocaverunt, quemadmodum & longe tenuissimum in cibi potusque abstinentia

terne refrigeratur?

Quomodo interne?

Cibus qualis esse debeat febricitantium?

tia : ab hoc sensim ad tenuem & ad plenum , qui sanorum , & integre valentium est , pervernerunt . Omnis autem febricitantium victus humidus , frigidusque habendus est , ex materia levi .

quis sit tenuis ?

Primus autem cibus est aqua hordei simplex , quæ refrigerando humectandoque leniter abstergit : deinde aqua mulsa , quæ melle temperata minus refrigerat , sed magis abstergit , & aperit : vel aqua saccharo condita , quæ minus quam mulsa viscera calefacit , sed minus quoque abstergit . Ab his hordei cremor refrigerans & humectans , abstergens , leniens , sitim compescens , nusquam ductuum viis adhærescens . Hæc sequitur sorbitio è pulli gallinacei , vel columbini jusculo , in quo frigidiora olera , lactuca , oxalis portulaca buglossum , & uva acerba incocta sint .

Medius ?

Mediæ vero materiæ sunt ea ipsa olera , deinde hordeum integrum saccharo conspersum : ab his panis medulla elota , & ex aqua cocta : sequitur quæ ex pullorum jusculo coquitur : hinc pisces saxatiles , deinde ova tremula sine testa in ferventem aquam coniecta ; carnis deinde aqua liquidior vaporario elicita , modo simplex modo rosarum , buglossi , aut violarum saccharo temperata .

Valens ?

Valentioris jam quodammodo , sed nondum plenæ materiæ sunt pulli gallinacei , & columbini , & gallinarum caponumque extrema , deinde jus eorum fervore consumptum , & quod jam quasi in gelu concrevit : ipsa quoque eorum caro , & hoedina , & vitulina , ea quidem elixa & dum editur succo quodam

quodam refrigerante intincta, ut carnis saporem quodammodo sapiat : quod & amygdalæ tulsæ jusculis quoque præstant.

Quæcunque jam *crassiusculæ* sunt *materiae*, *Plenus* utea ipsa assa, & perdices, aviculæ montanæ, lepusculi assi, & afforum quorumis expressus succus, aut qui elicitur è carne in diplomate sine aqua elixa, quod nimium alant, ægre coquantur, æstumque in præcordiis excitent, non in acriter febricitantium, sed in sanorum cibus numerantur. Si quid tamen horum vehementer expetitur, succo, aut condimento refrigerante in laborantis gratiam concedi potest.

Potus est vel aqua fervefacta & refrigerata, vel aqua hordei simplex, vel aqua cum sacchari sextante fervefacta, vel quivis potus ex his quos connumeravi refrigerantibus, & aqua quoque frigida vini albi tenuis sextante conspersa : sic enim magis refrigerat, & citra viscerum offensionem, quoquoersum expeditius digeri, distribuique putatur. Frigida vero, quæ pura sit, ac simplex, minime cibus permiscenda.

At vero quum summus ardor ingensque fitis summam quoque refrigerationem postulant, sine qua metuitur, ne nimium vexatus æger exarescat, marcescat, aut forte exhausto spiritu brevi exovatur, præstanda quidem *frigida*, qua nihil ad infringendum calorem valentius. Sed & ipsa quoque Synochi, causi, aliarumque continuarum ardentium peculiare remedium est, quum illas vel extinguere, vel infringere, vel in aliud temperatum genus commutare consilium est.

Id

*Quibus cau-
selis abbi-
benda?*

Id tamen non nisi *eorum*, quæ sequuntur *observatione* tentandum. Noxia morbi materia ex urinis jam concocta appareat, quod non ante diem morbi quartum contingere solet, Laborans bono sit habitu, carnosoque corpore, integris viribus, infitocalore exuberans, potui frigida dum bene valeret, citra læsionem ullam assuetus: ei quoque partes, & viscera firma sint, & valida sine dolore sine obstructione magna sine tumore, sine abscessu, nec alvi dejectio nimia, nec cruditas ulla fatiget. Hæc igitur cum absunt, magna siti antecedente, frigida aqua copiose ad duas heminas, & ultra satietatem epota, dum venter præcordiaque distendantur, satisque refrigerata sint, & horrore quasi inalgescant, summum febris ardorem tuto extinguit.

*Quid ab e-
jus hanstu
ficien-
dum?*

Protinus autem multis stragulis *operiendus* est qui bibit, moxque cogendus, ut vomat, aut alvum copiose dejiciat, aut ingentem sudorem effundat. Cohibita enim aut subsistens tanta frigida moles, summo vitæ discrimine, nativum calorem cum febrili pariter extinguit, aut saltem partium nutritium functionem tollit, spirandi difficultatem, tremorem atque convulsionem, deglutiendi, mejendique difficultatem infert, ipsas insuper ductuum vias coarctans, morbi que materiam compingens, morbum multo diuturniorem facit.

*Quæ noxæ
sequantur
ab intem-
pestiva ejus
exhibitio-
ne?*

In eadem, atque etiam *in graviora incommoda* eos præcipitat, qui contra affecti fuerint extenuati, exangues, imbecilli, pauci caloris, non assueti ejus potui, visceribus dolenti-

dolentibus , tumentibus , obstructis , aut ulceratis , maxime autem si adhuc crudus est morbus : unde constat , febribus intermittentibus , quarum scilicet peccans materia in primis est visceribus , liberaliorem frigidæ potionem aduersissimam esse , neque semper continuam etiam , quæ ardens fuerit , tuto extinguere : & sub tanta refrigeratione omnino ancipitem esse febris curationem.

Talis igitur per febres esto cibi potusque qualitas.

Quantitas vero , utendique ratio non parum *difficilis* , summa quippe controversia certatur , quantum , & quando cibus in acutis morbis offerendus . *Antiqui* , præsertimque *Asclepiades* , primis totius morbi diebus , non modo à cibo verum etiam à potu abstinendum , putabant , ut ne os quidem elui sinerent : ita quidem superantem materiam minui digeri que rati , si nulla nova accederet . Eam Hippocratis sententiam esse censuerunt , quia , inquit , *Vbi morbus peracutus est , statim & labores summi fatigant & tenuissimo vitæ (quæ pura est abstinentia) uti necesse est .* Quum vero ægrum triduo per omnia fatigassent , quarto die cibo destinabant , interdum etiam quinto , aut sexto , sed quartus in plerisque ad initium cibi aptissimus habebatur . Dein vero altero quoque die alebant , ac ulterioribus diebus summo vigore contra Hippocratis doctrinam uberius , dum profusus morbus decederet . postea vero eorum æmuli cum ægris mitius agere coeperunt , pauloque maturius alere .

Gal. 10. M.
3. 1. ad
Glauc. 8.

Abstinentia triduanâ veterum.

1. Aph. 7.

Sed

*Repudia-
tur.*

Sed hæc fuit eorum olim doctrina, qui purgantia, aliaque medicamenta ex arte sustulerunt, omnem prorsus curationem uno victu moliti. Quoniam vero, qui prorsus computruit humor inedia absumi non potest, sed quod totus præter naturam sit, medicamento exigendus est, necessaria quidem non ex victu tantum opportuno, sed ex medicamentis quoque instituenda est morborum putidorum curatio: & ejus materiæ, quæ lædit, pars crudior concoctione per inediam, victumque tenuem, pars corruptior purgatione extenuanda. Itaque quum ex interiorum causarum observatione nunc tutior, quam olim, expeditiorque morborum curatio ex medicamentis constituta stabilitaque sit, non tam exquisitè tenuis victus imperandus, neque omnino vires abstinentia infringendæ sunt, sed tenui cibo sustinendæ, ut facile necessariam medicationem ferant.

*Quomodo
primo die
cibandus
ager?*

Vix ullo die æger abstinere rectè potest. Si per initia ventriculi præcordiorumque dolor: aut tensio, nausea, aut cibi fastidium, aut vomitio ninium affligit, tum medicamento, tum parciore victu demenda est materia, præsertim si antea actis diebus laborans gulæ liberalius indulsit.

*Quomodo
sequenti-
bus?*

Deinde vero ea imminuta, quum jam puriora erunt præcordia ex morbi magnitudine, acrimonia, & motu, astimandum quousque producendus is sit, aut quando summum vigorem habiturus. Si peracutus existit, & ex eorum numero, qui statim, dum incipiunt florescunt, ac vigent, statim quoque tenuissimo victu utendum. Si paulo mitior, atque etiam

turnior in diem septimum excurrat, simpliciter, tenui: sin vero in decimum quartum diem producendus videatur, paulo pleniore.

Perpetuo autem cibus initio plenior sit, sensimque minuatur, dum ad summum vigorem morbus pertingat, in quo dari tenuissimum præcipit Hippocrates. Sic igitur temperandus est, ut in summo vigore summe quoque tenuis sit, incremento tenuis, initio aliquantum plenior, quo tamen corpus vires noni acquirat, sed duntaxat paulo infirmiores confirmet, ut adventuri mali spatium sustinere, & in eo morbi concoctionem moliri, & eas, quæ tum arte, tum sponte fient, vacuationes, tolerare possit, & ne ante summum vigorem deficiat, atque hebetescat, & tum temporis nutrire, & naturam ad cibi concoctionem revocare cogamur, cum maxime in morbi concoctionem pugnamque incumbit. Hæc ut declines incommoda, in paulo plenior potius, quam in tenuior victum devertes: quandoquidem, (ut est apud Hippocratem) victus minus tenuis, & exquisitus paulo plenior periculosior est, & error ex tenui, quam ex pleno gravior, quem & agroti difficiliter ferunt.

I. Aph. 8.

I. Aphor. 5.

Et hæc quidem acutis omnibus communia sunt.

Quibus autem horis, & quoties conveniat videndum. In morbis qui ex intervallis exasperantur, atque fatigant, observanda hæc tempora sunt: instans accessio, initium, incrementum, status, seu vigor, decessio, remissio, aut etiam intermissio, si perfecta

qua hora

in iis qui

longum in-

tervallum

habent?

G

integri-

integritas est insecuta. Integerrimo corpori
cibus est offerendus : minus enim corrumpi-
tur qui in vas syncerum demittitur. Itaque
si tempus intermissionis in intermittente,
aut etiam remissionis in continuâ febre, *longius*
est, ejus initio, quum jam maxime om-
nia tranquilla sunt, & arteriæ conquie-
runt, dare cibum expedit ; rursusque se-
cundo, si longum est intervallum.

Qui breve?

At quum *quietis breve tempus* erit, & ma-
ture altera timetur accessio, inhærente ad-
huc febre, & ejus reliquiis manentibus, ci-
bus etiam tuto dari potest : præstat enim
decedente febre, quam instante ægrum cibo
destinari.

In vagis?

Eâdem ratione *si vaga febris* est, & incer-
tum ejusque recursuræ tempus, ne inopinato
eum excipiat, quandocunque quis ex ac-
cessione levatus apparebit, etiamsi nondum
ex toto integer sit, cibum assumat, & cibum
semper ab accessione proximâ quam maxi-
me reducatur.

*In Compo-
sitis?*

Atque etiam, si bis eodem die accessiones
complures hominem adorianatur, post gra-
viorem præcipue alendum.

1. Aph. II.

Cæterum *in accessione* jubet Hippocrates,
prorsus abstinere, & totius ejus tempus sine ci-
bo præterire. At nihilominus si quis propter
virium imbecillitatem deficit, nullo acces-
sionis tempore non est sustinendus, idque
aut prunis, cerasisque coctis, aut conditis
saccharo, aut hordei cremore, aut etiam pau-
co concreto carniū jure, quæ refrigerata
sitim pariter extinguunt. Hæc tamen mi-
nore periculo dabantur instante, quam in-
cipiente

*In paroxys-
mo!*

cipiente febre, & increfcente, quam fumme vigente.

In ea porro febre, quæ continua eft, & remiffionem nullam habet, neque lenior unquam fit, antelucanis horis, quibus omnes fere in fomnum propenfi funt, aut matutino tempore, quod natura fua leniffimum eft, plenior dandus eft cibus, quam meridiano, aut vespertino, quo fere afperior morbus eft. Verum tamen in homotono febre aptæ funt cibo horæ, quibus & integra valetudine quis ali confuevit.

*In conti-
nentibus?*

In quacumque nihilominus febre continua vis corpori deeffe videtur, arteriæ præ exilitate concidunt, & laborans exolvi femeruit, eum cibo fovere, viresque recreare licet.

*In defectu
virium?*

Hactenus Fernelius.

De irrita fiti in febrile tolerantiâ.

EX *Epist. 20. lib. 1. Langii.* Accufatione Edigni funt noſtrates Medici, qui ægros febricitantes inoportuna fiti macerant. Nam non paucos inani fiti tolerantiâ perdunt, adeo ut non injuria Eraſiſtratus graviter ob id Apollonium, & Dexippum Hippocratis diſcipulos inceſſerit, quod de hecſtimoritis cotylæ cyathis, quarum ſingulæ vix duas uncias continebant, unum, aut alterum tantum conceſſiſſent. In quo certe ab Hippocratis præceptoris dogmate, teſte Galeno longe deſciverunt, qui ait Hippocratem hæc redarguere, ne quis tantâ ſiti affligat ægros, ut illis febricitantibus, aquæ tantum vigefi-

*Gal. 1. 3.
de reg. acut*

nam cotylæ partem præbeat, Nam & Hippocr. l. 4. de Vin. M. A, causone laboranti, ait, aquæ, vel melicrati aquosi, & ex arte cocti, bibere dato quantum voler, proinde Galenus gloriatur se frigidâ potione ubertim, & tempestive data, omnes causone affectos, morti eripuisse.

Et paulo post pergit Langius, Abundans frigidæ potio, si causonis ardore laborantibus subducta fuerit, eas febre hectica tabescere cogit. Unde coactam in febribus continuis sitim ob cordis & præcordiorum æstum, sanguinis adustionem, spirituumque resolutionem, plurimum obesse, nemo mentis compos inficiabitur.

An vero potus in paroxysmis febris interpolatæ competat, non parva est altercatio. Sunt qui Aphor. II. l. I. Hippocratis edocti (quo ait, *in accessionibus abstinere oportet: nam dare nocivum est, & quibus per circuitum sunt accessiones, in ipsa accessione abstinere oportet*) in quovis paroxysmi tempore, non in ediam modo edicunt, sed potum quoque vetant, etiam picrocholis: quum tamen Hippocrates potius de cibo, quam potu id statuerit, quo fit, ut ægros siti intolerabili, quâ nec majoris Tantalus apud inferos excrucietur, miseris, conficiant. *Et paulo post iterum pergit Langius*. At certa Hippocrates in paroxysmorum declinatione adeo potum ægris non vetuisse, sed ob illius commoda in libro de Acutorum diætâ primo, fere præcepisse videtur, dum ait, *pedibus frigore affectis, non soluma sorbitione sed etiam à potione maxime abstinendum est: sed tum sorbitionem & potionem dabimus, quum calor*

calor ad pedes usque pervenerit.

Nam hoc tempus maxime oportunum est eum in omnibus morbis, tum præcipue acutis, ubi febris, & ingens periculum subest. Hoc observans Galen. lib. 2. de cris. recte his verbis Medicos monet. *Quum in vigore febris consistit, calorque æqualiter quaquaversum extenditur, nibiloque thorax plus extremitatibus calet, tum jam bibendi tempus ægrotanti adest, & statim à potu plurimus vapor calens per cutim exhalabit, sudoris nuncius: Bilis quoque superveniet vomitus, venter solvetur, biliosum quoque emingent.* His persuasus nil temerarium vulgi iudicium veritus si patiens corpulentus ejusque epatis, ac splenis substantia inoffensa fuerit, cum tota corporis moles æqualiter incaluerit, tum vel in ipsa febre Britannorum sudoriferâ, vires ægroti refocillato, eo sudorem elicies, quo causa illius paroxysmi conjuncta facilius sudore diffiliari, & digeri per cutim possit:

Hactenus Langius.

Chirurgica operatio in venæ apertione, cucurbitularû affixione, frictione &c. consistit.

Pharmacia tum alterantibus, tum purgantibus, tum corroborantibus absolvitur.

Alterantia vel calorem respiciunt vel humorem peccantem, priora sunt refrigerantia: hæc maxime sunt necessaria, nam

*Cum furit, atque artus depascitur arida febris
Proderit accensos æstus avertere.*

Posteriora præparantia, seu digerentia vocantur, atque hæc non minus sæpissime in febribus requiruntur, quam refrigerantia, eadem (I. Aphor. 22. concocta medicari

oportet neque incunte morbo, nisi materia turgat.

Hæc humorum vitia, & in primis, & in secundis qualitatibus, per contrarias emendant, atque hac ratione quasi præparant partim ad feliciorē concoctionem, partim ad commodiorem evacuationem arte moliendam. Suntque triplicis generis: quædam enim bilem, quædam pituitam, quædam melancholiam respiciunt.

Bilis flava, inquit P. Morellus, ratione primarum qualitatū cum sit calida & sicca, refrigerantia, & humectantia, ratione vero secundarum, cum alia sit tenuis, alia crassa, incrassantia, & attenuantia postulat.

Pituita vel est *insipida, acida, & viresca*, Estque frigida, & humida; vel *salsa*, & est calida, & sicca. Prior alteratur calefacientibus, & exsiccantibus, posterior vero ut bilis præparatur, admixtis tamen pituitam respicientibus: & quia pituita omnis semper crassa, lenta, & viscida est, prædictis attenuantia, incidentia, ac detergentia admiscenda erunt.

Melancholia itidem duplex, scilicet *adusta*, seu *attributionaria*, quæ, cum sit valde calida, sicca, & crassa, frigida humectantia, & attenuantia requirit: vel *non adusta*, simpliciter *melancholia dicta*, quæ suâ natura est frigida, sicca, crassa. Hæc moderate calefacientibus humectantibus, & attenuantibus coquenda est.

Purgantia, si late sumuntur, sunt, quæ peccantem humorem jam præparatum è corpore educunt, quæ eductio fit vel per alvum,

vum, & dicitur nomine generis *Purgatio*, vel per os, & est vomitus, vel per habitum corporis, & est sudor, vel per urinam, & est mictio, vel per uterum, ut *fluxus menstruus*. Quæ per alvum purgant, *purgantia*, seu *caibartica* dicuntur. Hæc non quemvis humorem, sed certum elective purgare volunt (*quod an verum sit nunc non examinabo*) atque eorum, pro quatuor humoribus quatuor etiam classes constituunt, ita ut sint *cholagogæ*, quæ bilem, *phlegmagogæ* quæ pituitam, *melanogogæ* quæ melancholiam, & *hydriagogæ* quæ aquas, seu serosos humores per alvum ex corpore expellunt.

Horum omnium, tum alterantium, tum educentium materiam abunde tibi *Fernelius*, *Heurnius*, *Morellus* ex editione *Blasii*, *Sennerius*, *Claudinus* &c. suppeditabunt.

CAP. III.

De Ephemera febre.

Febri Ephemera est calor præter naturam in spiritu primum confidens.

Est autem hic spiritus non insitus, quem in physiologia diximus solidâ parte contineri, ejusque præcipuam substantiam complere: sed arteriarum communis, è corde in omne corpus influens, illapsus. Hic ephemeræ materia est, continensque causa, ut in quo, tanquam basi consistens, in reliquum dein corpus invadit, ejusque functiones interpellat. Atque ut spiritus admodum tenuis est ita & quæ in eo consistit febris omnium est le-

Gal 1. diff.
febr cap. 5.
2. de cris.
ultim.
Ephemera.

Oritur à calore spirituum non insitiorum sed insipientium.

visissima, & facile dissipabilis: non constans, sed veluti transiens, ac præterfluens.

Excitato à causis evidentibus. Huic fere origo est à causis evidentibus quarum vi & impulsu tenuis, calidus fervidusque spiritus, omnium quæ in corpore sunt promptissime incenditur. Quum igitur ab his non prius humores, quam spiritus inflammari possint, necesse est febrem omnem putridam ab his genitam, quædam antecedar ephemera.

Ejus signa. Hujus notæ sunt, quod non sensim præcedente cibi fastidio, aut spontanea corporis lassitudine, aut graviore somno, & frequenti oscitatione, sed tota repenteprehendit, solaque evidentium causarum vi infertur. At nullus, aut admodum levis horror initio fatigat, idque duntaxat quum cacochymum corpus expirationem multam, eamque calidam, & acrem diffundit, quæ ob cutem à frigore densatam aut ob exilium meatuum constipationem suppressa, ferit partes nervosas. Nulla comitantur feva symptomata, nec vehemens dolor, nec magna corporis jactatio. *Pulsus* quidem celer, & frequens, sed tamen æqualis, & ordinatus, magnus, ac validus, nisi vel ex mœrore, vel ex inedia, vel cruditate, vel frigore ortafit: & est in pulsu diastole major, atque velocior, quam systole: *inspiratio* quoque *expiratione* major & celerior. *Calor* tactu mitis, suavis, atque halitu plenus, qui fere eo ipso die, aut totus occulte expiratur, aut madore sudoreve naturali, eoque miti, nec graveolente discutitur. *Vrina* substantia, calore, sedimento aut nihil, aut minimum

In pulsu.

In respiratone.

In calore.

In urina.

num à naturali distans.

Diariæ febris prægressæ *evidentesque causæ* sunt quæcumque calidiorem intemperiem *Causa præcataretica* inferunt : solis æstus , omnisque ambiētis fervor : lassitudo , laborque vehemens : vigiliæ , inediæ , intenta animi contentio ex *Externæ* ira , curis , tristitia , vel timore. Omnium *internæ* autem gravissimæ sunt , *Cruditās* cruditas , sive ex nimia cibi copia , & helluatione , sive ex vino meraciore , sive ex fructuum , corruptorumque ciborum esu contracta : Naturalium *suppressio* *vacationum* , ut alvi ; ut urinæ , quavis ex *vacationum* causa retentio , ut sudoris , halitusve *suppressio* , ob cutis densitatem , & constipationem , vel ex frigore , vel ex adstringente balneo : Adenum , maximeque inguinum ex labore tumores , atque *bubones* , & atroces cruciatus , qui corpus inflammant , humoresque exagitant.

Tres hæ causæ non solum qualitatem , sed *quomoda* & vitiosam materiam , vel in corpore retinent , vel aliunde suggerunt , ac proinde febrem accersunt ab horrore , & in periculum adducunt putridæ febris , cæteræ vero solam qualitatem , intemperiemque conferunt.

Quæ causa diariam excitaverit , ex antecedentium investigatione disci potest , neque in re tam levi necessaria videtur amplior *Causarum signa* signorum discussio.

Has in febres maxime *propensi sunt* , qui calido , siccoque sunt corpore , & qui habitu acri plurimo conferti sunt , & quibus sudor , urina , aut egestio , supra modum graveolet. *Avic. loc. cit. cap. 2. 7. Qui in hanc proclives.*

Quum diaria nullà inclinatione , nullo su-

*qualis ejus
mutatio?*

dore aut etiam finito sudore, statu pari diem unum excefferit, metuenda *permutatio* vel in fynochum, vel in putridam, quod ex signis suspectæ imminentisque febris internoscitur.

*Ephemerarum febrium causa, judicia,
& curationes*

*Ex Fernel.
feb. meth.
cap. 6.
Gal. 21.
meth. de
cris. 2. ul-
ta ad
Glanc. 2. 3.
Ephemera
quomodo
cognosca-
tur.*

Febri, quæ evidentium causarum vi de repente purum beneque habitum corpus etiam ab horrore, invaserit, *ephemera putetur*. Non enim evidentes illæ, & prægressæ causæ putridam repente ingenerant, nisi quantum vitiosa subest corporis præparatio. Licet autem per ephemeram spiritus soli incendantur, humoresque puri, ac boni dumtaxat incalescant, agitati tamen horrores acrimonia suâ sæpe excitant, febremque sudore solvunt. Itaque si calor halituosus, & citra acrimoniam, vehementius increvit, corporisque exolutio quædam existit, pulsus celerior, frequentior, ac vehementior citra inæqualitatem (quæ putredinis index esse solet) si urina nec colore, nec substantia, nec contentis à naturali differt, & evidentium causarum insueta vis præcescit, nec ante ulla erat functionum quærimonia quæ ita repente orta fuerit febris, ephemera conjicienda est.

*quodnam
de eo ha-
benam
judicium.*

Ea autem cognitu difficilis, sed curatu perfacilis, ac nisi in pestilentium sit numero, toto genere salutaris est ac fere solet die naturali finiri, sensimque mitescere calore decedere, interdum manifesto sudore, interdum perspiratione solâ: quanquam dum vehementior fuit occasio, in secundum tertiumve

riturve diem non nunquam exporrigitur.

Una quidem *curandæ* omnis *ephemeræ* *communis ratio* est. Etenim spiritus, & humores perciti, atque concitati, tum animi tranquillitate; tum *quiete* corporis, atque somno compescendi sunt: in idque tumultus omnis, & motus, nimiusque luminis splendor arcendus est: ac nisi necessitas (ut quum ab inedia, aut inanitione fit) postulet, sine cibo continendus æger est, dum sese calor remittat.

Cibus autem tum coveniens erit hordei cremor, aut jusculum è gallinaceis, aut ex vitulina, hædinave carne, in qua lactuca, oxalis, buglossum, portulaca incoxerint: panis quoque ex eo jusculo coctus, & ipsarum carniarum nonnihil oxalidis, vel citrij mali succo, vel omphacio intinctum: ova insuperforbilia, eorumque præsertim vitelli: fructus etiam passii, aut dulces, aut acidi.

Potus vero vel aqua simplex, eaque frigida, si nulla suspecta est viscerum imbecillitas, aut certe jam prius fervefacta, vel ea in qua hordeum incoxerit, vel glycirrhiza macerata, aut solum saccharum sit, vel vinum album tenue, & oligophorum aqua multa dilutum.

Sitis vero, quæ per febris ortum vehementius excruciat, lenienda est syrupo violato, aut jujubino, aut adiantino, aut julepo rosato, aut (quia dulces molesti sunt) succus limonum, aut punicorum his affundetur, propinabunturque ex aquæ quadruplo aut sextuplo.

Inclinante jam eâ dulcis aquæ balneum *quid in de-*
confert,

*Quomodo
curetur
quiete!*

Cibo?

Potus?

*Quomodo
occurra-
tur siti?*

quid in de-
confert,

*elinatione
facien-
dum?*

confert, nisi aut putredinis, aut destillationis, fluxionisque suspicio sit. quin etiam si compactior alvus negocium facescit, hanc opportune molli clystere ducere nil noceat. Plenior autem evacuatio raro arte tentanda est quod integra sponte sanatio succedat. *Hactenus Fernelius.*

Expedienda, inquit *Deusingius de febris disp. 2. §§. 8. pag. 23.* pororum constrictio promotis *sudoribus* per tegumenta, balnea vaporosa, aut diaphoretica: *Evaporationes* leniter promovendæ. *Venæsectio*, aut purgatio instituenda non est, nisi cum in aliam speciem transire incipit: tumque demum pro ratione æstus continuantis, aut ipsius plethoræ, vel cacochemiæ, sive sanguis mittendus, sive purgans exhibendum est.

Hæc igitur habenda est omnium ephemerarum communis curatio.

*Quid præ-
zereæ faci-
endum in
Ephemeræ?*

Cæterum ut earum variæ ex evidentium causarum numero statuuntur species, quæ & diversa symptomata proferunt, ita & his leniendis peculiaria quædam aptantur remedia.

Ab æstu

Ephemera, quæ ab *æstuoso* aere, aut à solis ardore, aut à balneis, aut ab æstuario inducta sit, raro sine capitis est dolore. hunc vero lenire oportet oxyrrhodino simplici, vel eo cui olei nymphææ, papaveris, vel unguenti populei, quiddam sit admixtum, aut etiam oxycrato simplici, vel eo quod ex aquis stillatitijs rosarum, plantaginis, solani, atque betonicæ, & aceti sextante comparatum sit. His non modo frontem, & tempora. sed & sinciput quoque irrigare liceat,

liceat, modo tepidis, modo frigidis.

Contrariis ex causis ephemera quoque interdum succenditur; ut quum æstuans concalfactumque corpus derepente in frigidiorē aërem se confert, qui *cutim denset*, atque constipet, nec concalfactos humores expirare sinat: aut quum in balneum frigidum, aut aluminosum descendit: quod minime contingeret, si pariter interiora, ut per brumam iter facientibus, frigerent. Per hanc igitur frictione molli, aut unctiōe laxanda cutis est, vel sudoris promotione, vel balneo calido; quod si horrorin balneo percipiatur, *confestim egrediendum*, conceptam enim jam esse putredinem testatur, alioqui si diutius cutis constipetur, metuenda putrida erit.

*Contrictio-
ne cutis,*

Ephemera ex *motu*, experegrinatione, aut labore immodico generata, lassitudinem artuum, musculorumque dolores exhibet: quos vel leni, ac molli frictione, vel unctiōe ex oleo dulci, ac tenui, ut violato, aut chamœmelino, aut liliaceo, demulcere juvat: quumque jam febris inclinare cœperit, sudor fomentis blande provocetur, aut etiam dulci balneo, cui peculiare id, ac proprium est ejusmodi lassitudinis dolores finire.

Motu,

Eadem fere sit ratio, si Ephemeram vehemens dentium cruciatus, aut colicus, nephriticusve *dolor* excitarit.

Dolore,

Neque admodum dissimilis est ratio si eam vehementiores *animi* perturbationes, ut ira, excandescētia protulerunt, summa quippe animi tranquillitas & hilaritas imperanda, bilisque fervor frenandus est vi-

*Animi af-
fectibus,*

ctu,

ctu, potuque refrigerante, & vini abstinencia.

Curis.

Quæ ex vigiliis, ex literarum studio, ex multâ meditatione, ex *curis*, ex mœrore, aut ex tristitia processerit, ignavior quidem existit, ac minus fervida, pulsuq; languidior, & contractior. Atque ut ex iis causis rarior est ephemera, ita quæ fortasse incidet proprios fere limites excedit, & causis perseverantibus in diurnam lentam plerumq; abit, quæ marcorem accersit. Per hanc omni studio exhilarandus est animus, spiritus excitandi, cardiacis cor fovendum, atque muniendum epithemate odorato: somno faciendus est spiritus, dissipatus & cibi bonitate, odorato, tenuiq; vino moderate reparandus humor benignus, qui exhaustus fuerat, & corpus balneo sine sudore humectandum.

Inanitione

Simili præparatione curari ea postulat, quam forte *inanitio* immoderata induxit sive ex inedia, aut siti intolerabili, sive ex vacatione spontanea, aut medicamenti victa. Raro tamen aut *exinanitio* aut *inedia* febrem infert: hæc enim præcipue humores compescit, atque spiritus, non autem excitat, aut impellit, corpusque sæpius refrigerat. Si enim bilem ab hoc accendi contingat, putrida quam ephemera potius metuenda: quæ ne succedat, refrigerans, humectansque cibus, etiam invadente eâ, multoque magis inclinata, conceditur.

Repletione,

At vero *repletio* immodica, tum quæ ex cohibitis naturæ excrementis, tum quæ ex pleniore aut calidiore alimento proficiscitur, frequens est febris gignendæ causa, principio

principio quidem ephemeræ, deinde etiam putridæ, siquidem invalescat, aut diutius ea persistat. Primo enim suppressorum excrementorum vapore spiritus humoresque inquinantur, & incalescunt: caput dolore tentatur, & eorum mole oppreſsum corpus ingravescit, quæ peculiaria huic febris symptomata sunt. Præter cætera igitur confestim naturalis, consuetaque omnis vacuatio est molienda: adstrictior alvus clystere sollicitanda: urina parcior diureticis movenda: sudores præter naturam cohibendi sunt diaphoreticis: hæmorrhoides, aut *menses*, qui præter consuetudinem subsistunt, proritandi sunt: quemadmodum & vetus, fistulosumque ulcus, è quo consueta sanies jam diu non emanarit. Hujus quidem ephemeræ facilis est in putridam transitus. Itaque si causis perseverantibus ea largius excurrat, & ex impuritate impendeat suspectave sit putredo, purgatione quidem, aut accommodata venæsectione arceri poterit, si plethora jam gravis evaserit.

Ea enim ephemera, quæ ex subita frigidioris humoris fluxione in inguina, aut in alas aut in aliam corporis sedem obtigerit, purgationem postulat, quemadmodum, & venæsectionem, quæ ex tenui, fervidique sanguinis irruptione in crura, in aliasve sedes, erysipelatis specie, cum horrore invaserit: & quæ ex pruritu, ex scabie ex furunculis, aut ex abscessu externo; Nam interior omnis putridam parit.

Jam vero immodica *alimenti*, ejusque optimi repletio, quod ægre dometur, atque coquatur,

Fluxu humoris.

Nimio cibo,

coquatur,

coquatur, cruditatemque pariat, diariæ plerumque fit occasio, multo autem magis, si ex acriori, calidioreque alimento fuerit, ut ex immodico generosi vini potu, ex sinapis, nasturtij, ceparum, alliorum, & aromatatum esu. sub hac ventriculus distenditur, ac plerumque dolet, caput vapore impletur, tempora pulsant, corpus ignavum, grave & inquietum existit. Quocirca præter quietem, & refrigerationem, quæ omnium communis est, inedia atque cibi parcitas apprime est utilis. Potus tamen, si implacabilis fitis est, permittendus. Vomitus, aut etiam alvi subductio accommoda, si malum crudelius increvit. Imo etiam si cruditas evicta nondum calore, putredinis nidorem quendam induxisse videatur, purgatio accedat ex pulvere hieræ, aut rheobarbaro, aut ex senaa, aut ex catholico, eaque sic arte comparata, ut ventriculum primasque sedes exquisite purget.

Multo autem magis hæc necessaria fuerit, si ex immodico, & intempestivo *fugacium fructuum*, ut persicorum, malorum, chrysomelorum, fragorum, mororum, peponum, melonum, cucumerum, uvarum lactis & omnium, quæ prompte corrumpuntur, esu oborta sit.

Etenim corruptio, si diutius in ventriculo, primisve sedibus resedit aut si hinc in jecur, venasque majores penetret, cum spiritu humores, sanguinemque contaminans, putridam febrem accendet. Quocirca expurganda est protinus: etiamsi portio ejus vomitione aut alvi dejectione sponte proruperit: quandoquidem solus corruptionis

his nidor derelictus, putridæ febris initium plerumque fuit. Ab his deinde concoctio iuvanda electuario diarrhodon, vel aromatico rosato, vel cortice citri condito, vel myrobalano, vel nuce muschata condita vel condito ex his concinnato.

Firmandus quoque ventriculus oleo mastichino nardino, menthæ, vel absynthij, idque dum concoctionis bonitas existat.

Posteriora hæc ephemera genera, si vel *Quomodo præviden-* caularum magnitudine invalecant, vel ne- *præviden-* gligentius curentur, quod aliqua intus ma- *us trans-* teria foveantur, *in putridarum species desciscunt.* *tus in pu-* Id autem certo, & circumspectius ex in- *tridam.* clinatione prævidendum. Si longa atque difficilis est diariæ inclinatio, quam neque sudor, neque mador exciperet, aut si à sudore frequens adhuc pulsus inæqualitatem nanciscitur, aut capitis dolor, aut fitis, aut aliud symptoma perficit, neque biduo, tri- duove pura sequitur integritas, metuenda certe in putridam permutatio.

Hoc tandem loco minime prætereundum *Febres in-* duxi, febres quasdam tum assiduas tum in- *ter Ephe-* termittentes, artis usu notari quodammodo *meram pu-* ancipites & quas neque in ephemeram, neque in ul- *tridamque* lum *putridarum* generis certo referre possis. *ancipit es.* Quædam enim ultra diem tertium excurrunt, ac eodem interdum die sæpius exasperantur, idque aut dum cibus conficitur, aut sub vesperam, nullam intermissionem puram sortitæ: blandæ quidem, & quibus laborans vix se teneri putet: pulsus tamen celeritate ac frequentia, lassitudine, corporis gravitate, aut exolutione, interdum etiam gra-

vioribus symptomatis conspicuæ.

Quædam vero ad puram intermissionem deductæ sine horrois sensu, leviter, ut dixi, aut dum concoctio fit, aut sub vesperam, aut quavis occasione recrudescunt.

*A quibus
causis ori-
antur.*

Ejus generis nonnullæ à vehementiore pruritu, à scabie, ac furunculis, ab externis abscessibus, & ab acri destillatione fiunt. Nonnullæ etiam à cruditate indomitâ, vel à bile citrà putredinem effervescente, vel à semimala humorum qualitate, quæ primam, aut alias corporis regiones obsideat: hæc enim vitiosa illorum qualitas medicis quædam via est ad putredinem, in quâ plerumque affectio subsistit.

*Quomodo
curantur?*

Quocirca ejus generis febres omnes, aut tenui refrigeranteque victu sustuli, sub quo natura qualitatis vitium sola emendaret: si victus parum profuit, huic insuper aut venæ sectionem, aut purgationem accommodavi, quibus brevi est solutio secuta.

C A P. I V.

De Synocho febre.

*Aërius lib.
5. c. 70.*

*Synochus
quæ?*

FEbrium quæ in humoris vitio positæ sunt, omnium prima est *Synochus*, nobis continens appellata. *Ea assiduo fatigat, nulla ex-candescencia, nullaque intermissione, dum integrè soluta sit.*

*Ejus diffe-
rentia.*

Est autem *duplex*, una sine putredine, altera *purida*

Vtriusque materia continensque causa in vasis est majoribus, inter alas & inguina sitis, atque

ea est utrique sedes. Materia autem sanguis *Causa proxima.*
est, non ille quidem simplex, sed qui
ex quatuor humorum æquabili permixtione
constat.

In eos proinde duntaxat synochus *Qui ad eam dispositi.*
invasit, qui temperati aut aliquanto humidiores cali-
dioresque sunt ætate mediâ, habitu carnosô
ac vere quadrato, & quos plethora id est san-
guinis exuperantia & æquabilis succorum
redundantia premit: cæteras naturas con-
stitutionesve non attingit. Eaque causa est,
cur admodum raro synochus reperiatur sim-
plex.

Itaque sanguinis quædam velut *Quomodo generetur sine putredine.*
effervescentia & simplex inflammatio, quæ phlogosis
appellatur, synochus est sine putredine. Ut
autem sanguinis ea materia sui ubique simi-
lis est, ita & illius inflammatio tota unius
est modi, & ab initio in finem una quasi ac-
cessio.

Id quidem trifariam fieri contingit: alias
enim calor par sui que similis toto febris de-
cursu manet, quantumque recens inflam-
matur, tantum protinus dissipatur: ea est
synochos *Homotonos.*
Homotonos. alia recens inflamma-
tio quam dissipatio major est tumque calor
continuo incremento invalescit, & syno-
chos fit *Epacma-
stica.*
*Epacma-
stica.* id est increfcaens: alia
plus dissipatur, quam recens inflammetur,
ac tum calor statim à summo vigore inci-
piens, sensim minuitur, dum desinat, &
synochos fit *Paracma-
stica.*
*Paracma-
stica.*

Synochus omnis sine putredine easdem
atque diaria febris *causas habet:* quæ levio-
resquam fuerunt diariam quum vehemen-
tiores,

*Ejus causæ
prægressæ.*

tiores, synochum proferunt. In causarum censu admodum efficaces sunt, magna adstrictio constipatiove cutis, & sanguinis redundantia, sive ex suppressa, consueta variatione hæmorrhoidum, mensium aut narium, sive ex immoderato usu ciborum euechymorum & calidorum ea succrevit.

*Qui ad
eam dispo-
siti?*

Quamobrem huic fere *obnoxius* est temperatus intemperanter vivens, qui quum bene habito sit corpore, multo se tamen vino multaque carne implet: huic enim sanguis multus atque calidus inest, qui non facile corrumpitur.

*Ejus gene-
ratio.*

Ab his igitur causis primum *inflammatus* spiritus, ac tum sanguis sensim incalescit. Hujus etenim tenues acresque vapores, ac ipsum calorem præter naturam cutis densitas aut adstrictio cohibet, nec prodire finit, qui geminatus sanguinem inflammat, simplicemque synochum facit.

Signa.

Hujus *notæ sunt* quæ & ephemerae, verum aliquantum manifestiores. Proprie tamen corpus omne maximeque facies inflammatione ruboreque suffunditur, distendens lassitudo artus omnes occupat: magna jactatio fatigat: venæ copia distentæ multumurgent: tempora vehementer pulsant: caput dolet vel ingravescit: somnus sæpe profundus ac veterinosus premit: respiratio difficilis: *pulsus* magnus, plenus, frequens, ac velox: *cutis* non squalida sed mollis, non acri, sed blando calore madoreque perfusa.

*Notæ sy-
nochos ex
bilis.*

Huic generi *alterum & finitimum* sæpe fieri animadvertimus ex *bilis* calidorumque humorum

morum *agitatione* nimia. Causæ siquidem evidentes quum vehementiores in biliosum corpus alioqui sanum irruerint, non modo spiritus concalfaciunt, sed & acres humores exagitant, quorum æstu febris accenditur sine putredine.

lis concitatione frequens.
Ex Nicolo Florent.

Hæc ephemerae limites egreditur, nec tamen synochos est nunc exposita: illa quippe sanguinis effervescencia est, hæc bilis concitatio sine putredine: illa in corpus incidit temperatum beneque habitum, hæc vero in calidum siccumque ac plane biliosum.

Hujus causæ evidentes non aliæ sunt, quam quæ ephemeram movent, maxime vero cruciatus summus, qualis nephritici aut parturientis est: exercitatio laborque immodicus, æstus, balneum, animi excandescencia, & quæ his pares sunt viribus.

Ejus causæ progressæ,

In hac nullæ putredinis *notæ* in pulsu aut in urinis cernuntur, veruntamen os amarefcit, dejicitur appetentia, sitis excruciat, capitis dolor ac vigiliæ urgent, in cute arida calor acer ferit.

Signa,

Sublatâ evidente causa, *paucis post diebus*, febris ejusque symptomata, quiete sola, nullo artis subsidio sedantur ac sponte desinunt. Quum febris diaria citra putredinis notas diem unum alterumve excefferit, harum alterutra suspecta esse debet.

Mutatio,

P R O G N O S T I C A.

Ex Paschali. Febris hæc, quamvis magna appareat, quia tamen robusta corpora,

sanguine plena invadit, nullaque sæva symptomata sibi adjuncta habeat, curatu facilis est, periculoque vacat, solviturque ut plurimum vel sudore, vel hæmorrhagia intra diem quartum, vel septimum, nisi insigni aliquo errore, quem vel æger, vel Medicus, vel assidentes commiserint transeat in putridam, vel phrenitidem, vel anginam vel pleuritidem, vel alium ex plethora ortum morbum. Si recte tractetur, & nihil eorum, quæ facienda omittitur, facile remediis cedit, difficilior tamen est, quæ subinde capit incrementum, facillima, quæ remittit, quæ vero eundem servat tenorem eodemque ut cœpit, modo perseverat, medio modo se habet.

Ex Foresto. si facilis adest respiratio, cum urina intensa, alterabitur, sin remissa perducetur febris; optima est illa urina, quæ albam simul & continuam habet hypostasin, quæ vero divulsam, & rubram, licet salutarem, longiorem tamen indicabit, quemadmodum & illa, quæ cruda est, & sine hypostasi. Hæc si ita diu persistit, periculum adferre poterit. Ubi cito signa coctionis apparent, citius terminabitur, emissio lachrymarum involuntaria, pulsus debilis, deficiens, urina pauca, livida, aut nigra, profundatio somni, ac difficultas sermonis, mala sunt, & periculum designant.

CURA-

CURATIO.

IN Synocho quam primum *vena secanda*,
 ut putredo, quæ, quia sanguinis venti-
 latio ob meatuum & pororum cutis consti-
 pationem, impeditur, facile suboriri posset,
 inhibeat, calor p. n. extinguatur, immi-
 nensque suffocationis, vel aliorum sympto-
 matum metus arceatur, & si vires robustæ
 fuerint, sanguis usque ad deliquium animi
 detrahendus, sic enim natura onere levata
 promptius *crisin* molietur halitusque per
sudorem dispellet: Si vires, ut unâ vice
 tantum sanguinis, quantum opus est, ut ex-
 trahatur, non permittant, negocium per
imixtionem, & partitis vicibus expediendum.

Dein, si alvus fuerit adstricta benigno,
 & *leni* aliquo medicamento, solvenda, vali-
 dioribus interim *pharmacis* abstinendum.

Alterum hujus febris remedium est *potio*
frigida, quæ tamen non, nisi in pulsu & in
 urinis signa coctionis appareant ex senten-
 tia Galeni 5. M. M. 9. locum habebit ut su-
 pra pag. 94. latius ostensum. Iis vero qui
 frigida potui assueti non sunt dabis julapia,
 & decocta refrigerantia.

Tandem ut calidum illud effluvium exspi-
 ret, *sudorifera* propinabis, scil. diascordium
 C. C. uftum salia absinthij, cardui bened.
 Quibus syr. acetos. de limon. rob. ribesior cal-
 oris gratia addi poterunt. Sic pori atque
 meatus cutis aperientur, & sanguinis
 eventilatio redintegrabitur.

Curatio ab
 solvitur
 1. Venase-
 ctione.

2. Purga-
 tione leni,
 non vali-
 da.

3. Altera-
 tione tum
 per potio-
 nem frigi-
 da. Tum per
 julapia re-
 frigeran-
 tia.

4. Sudo-
 ribus.

CAPVT. V.

De Synocho putrida.

Gal. 2. de
diff. febr.
cap. 9.
Synochus
putrida
quæ?
Hor. Aug.
De febr. 1.
5. c. 16.

PUtrida synochos febris est continua ex putrescente sanguine prognata.

De hujus exortu summa quidem dissensione certant artis proceres, possitne sanguis putrescere: & quæ hinc prodit synochus sit an biliosa febris.

Cæterum potest eorum controversia hac observatione dirimi. Sanguis bifariam putrescit, uno generali modo quum vi caloris præter naturam segregantur, quæ in eo sunt substantiæ dissimiles, & bilis flava ac tenuis ab atra, quæ crassa, terrenaque est feceritur. Hæc autem degeneratio verius corruptio quam putredo censeretur, ut alio loco dilucidius explicatum est à nobis. Atque si sanguis hac ratione putrescat, accendaturque febris, ea non synochos, sed vel biliosa, vel melancholica evadet. Alio modo vere sanguis putrescit, quum citra substantiarum diremptum aut secretionem totus corrumpitur magno fœtore aut graveolentia. Ut enim à venis in pectus, in ventriculum, in intestina, & ut in aliam capacitatem sanguis præter naturam effusus vitiatur & quasi in venenatam substantiam putrescit: & in musculos irrumpens tumorem præter naturam phlegmonemque parit, atque putrescit primum, deinde suppurat: ita dubitari non debet eum validis ex causis, ut in putrida atque pestilenti cœli constitutione, in venis putrescere. Quinetiam quum phlegmone

phlegmone renatur jecoris substantia, sanguis torus ^{omni} modo putridus, verumetiam nonnunquam purulentus existit. Sed & omnes fatentur, sanguinem tam magnâ interdum mutatione depravari, ut non amplius ad habitum redeat naturalem, nec possit iterum per naturæ concoctionem ad primam humoris bonitatem redire. Denique per febres qui detrahitur, sæpe animadvertitur non solum fœtidus & graveolens, sed & putridus adeo, ut nec sibi coherere nec concrefcere queat, omnibus scil. ejus febris putredine consumptis. Hoc igitur modo cum sanguis corrumpetur, synochos accendetur putrida.

*Actius lib.
5. c. 75.*

Hæc, quemadmodum & altera simplex, una quasi accessio est, nec ante aut mitescit aut intermittit quam integrè desinat.

*Synochos
putris tri-
plex,*

Est & ea triplex: quum enim toto decursu par est modus putredinis, homotonos existit: quum plus putrescit quam dissipatur, epacmassica: paracmassica, quum minus putrescit quam dissipatur.

*Homoto-
nos,
Epacma-
stica.
Paracma-
stica.*

Hæc etiam non nisi in temperato beneque habito sit corpore, cujus sanguis copiosus & laudabilis est.

*In hanc
proclives.*

Cæterum causas habet quam simplex validiores, quæ non modo inflammationem, verum etiam putredinem accersunt. Omnium autem efficacissima est cutis non simplex constipatio, sed ab impactis multis crassis viscosisque humoribus vera obstructio, quæ non cutem solam, sed & tenues jecoris habitusque corporis venas inferciat. Tametsi igitur integrè sanum corpus fuerit, omnes-

*Ejus cause
progressa.*

que humores secundum naturam ac synce-
ri, quia tamen valida ^{obstructio} perspira-
tionem prohibet, neque vis refrigerans foris
intro subit, neque tenuia, acria & fuligino-
sa excrementa intus foras erumpunt, hinc
& nativum calorem strangulari, & quacun-
que illic calida humidaque sunt putrescere,
neceffe est. Nonnunquam vero & similibus
putridorum occurfu febris hæc accendi-
tur.

Signa,

Notæ similes atque in synocho simplici,
sed insigniores ac magis conspicuæ. Præte-
rea vero calor in hac acrius contactum ferit:
pulsus non modo magnus, vehemens, celer
& frequens, verumetiam inæqualis & inor-
dinatus: *urina* crassa, rubra, turbida, se-
dimentoque nullo.

PROGNOSTICA

EX Paschali. Quæ nullius evidentis cau-
sæ vi, sed in corporis, animique quiete
summâ, ut sub noctis & somni finem susci-
tatur, gravior multoque periculiosior, quam
quæ prægresso impulsu exorta est, quod
causa ortus sui in intimo corporis recessu de-
litescat. *Terminatur* ut plurimum 7. 11. aut
14 die, si error nullus interveniat: 7. qui-
dem, si 4. signa coctionis evidentia appa-
reant, 14. si 7. demum. (quæ urina in prin-
cipio rubicundior, eo citius solvitur. Uri-
na alba mala est, & plerumque mortem præ-
dicit. *Sennertus*) Periculo non vacat, & ter-
rifica est, quæ statim extremos labores ha-
bet,

bet, viresque prostermit, & quæ sæva symptomata comitantur, ut anxietas, repentina vultus mutatio, dyspnæa, ventris inflatio, lachrymæ involuntariæ, frequens animi deliquium, extremorum refrigeratio citra causam manifestam, pustulæ lividæ, aut nigræ (aut virides.) Malum etiam est à somno, & ad ea, quæ febris exigit, oblata, male habere. Si alvus non excernit, & cervix, collumque gravatur in proinfectu est phrenitis, aut lethargus: sæpe hæmorrhagia ex naribus, sudores, aliquando *ἰξανθήματα*, & pustulæ rubræ, aut maculæ eam solvunt, quæ si die critico post concoctionem, bonum, sin contra, malum denunciant. Fluxus alvi initio magnus vires dissolvens, aut, ex materiâ valde pravâ, nigricante, mortem minatur. Facies turgida morbi diuturnitatem significat.

Aliquando alvi dejectio spontanea & sufficiens (signis perfectæ concoctionis apparentibus) hanc febrem tuto & perfectè iudicat.

Curandarum febrium putridarum methodus generalis.

Ex Deusingio. Curatio in genere, tum ad morbum, tum imprimis ad causam dirigenda est; habitâ interim ratione indicationis vitalis: nim: febris quidem ipsa, quam intemperies calida est, refrigerantia possit, verum cavendum, ne intempestivè refrigerantibus fermentatio foveatur, aut fermentum ipsum adaugeatur.

Febrium putridarum curatio absolutur.

Quare

Quatenus itaque calor ille p. n. à fermentatione humorum pendet, hæc, si fieri potest, ocysus suppressenda est, ac cohibenda, fermentum vero ipsum, quacunque ratione extirpandum & discutiendum.

*Causa ex-
clusionis.*

Evidentes item *causæ*, quæ vel in actu suscitant fermentum vel ipsius extirpationem, aut evaporationem impediunt, removendæ sunt: meatuum obstructions in corpore expediendæ, humores vitiosi, unde fermentum pullulat, præparandi, & convenienti ratione evacuandi; transpiratio libera corpori procuranda; dum vero causæ obstititur, videndum, ut quantum fieri potest minimum calor intendatur.

Venæsectione.

Venæsectioni, item in omni fermentativa (*putrida*) humoralis locus est. Namque docente Gal. II. m. m. 15.

Saluberrimum est in omnibus febribus, quas putrescens (seu, potius fermentalis) humor concitat, non continuis modo, verum etiam reliquis, venam incidere, ubi præsertim nec ætas, nec vires prohibent, levata namque, quæ corpus nostrum regit, naturâ, exoneratâque eo, quo veluti sarcina premitur, haud ægre, quod reliquum est, vincet. Itaque proprii muneris haud oblita, & coquet (id est digeret & separabit) quod concoqui est habile, & excernet, quod potest excerni. Quin imo ut fermentationis impetus utcunque sistatur, venæsectione opus est, sanguis enim veluti vinum fermentatione turgens, aperto vase subsidit. Quamvis autem in ipsâ sanguinis missione, non parum utilium spirituum cum sanguine effluat, & exspiret, hi tamen ipsi detenti fermentatio-
nem-

nem intenderent, æstumque auerent: ut remittente fermentatione, ipsa natura meliori conatu mox damnum compensat. Venæsectio igitur in febribus fermentativis humorum *continuis* quidem, mox in principio *administranda* est, ac eo quidem citius quo morbus velocius ad augmentum contendit. In *reliquis* vero præparatio vitiosorum humorum extra vasa consistentium, ac fermentum suggerentium, nec non evacuatio aliqua eorundem, venæsectioni præmittenda est. Præservationis tamen causa in intermittentibus quoque, ne scil. ex intermittente continua oriatur, aut ipsa intermittens vehementior evadat, non male quandoque imprimis cum sanguis redundat, venæsectio mox in initio instituitur.

Purgationem quod attinet, lenitivam quidem, seu quæ primam regionem blande expuret, in omnibus fermentativis humorum, pro re natâ instituire licet, præsertim in initio: *specificam* vero, ac proprie dictam *purgatio*, in continuis periodicis quidem, ac intermittentibus, non nisi post corporis, humorumque extra vasa consistentium præparationem, vel eorum, quæ intra vasa continentur coctionem, ac separationem naturalem, locum habet: *lenitiva* autem purgatio vel per clysteres vel lenientia medicamenta, *Eccoprotica* dicta, vel quandoque (ubi ventriculus vitiosis humoribus est obstitus, ac nausea adest, atque ad vomitum propensio) per vomitoria blanda est instituenta.

Sudorifera item in fermentativis humorum *Sudoriferum* *ris.*

rum quibusvis conveniunt ad fermenti diffusionem: In intermittentibus tamen, ac periodicis continuis tutius post humorum præparationem, ac purgationem exhibentur: idque eo tempore commodissime, quo natura ipsa humores movere aggreditur. nempe vel bihorio circiter ante paroxysmum, quo nimirum instanti exacerbationi præripiatur materia, ac causa intercipiatur: vel in paroxysmi fine, quo reliquæ fermenti jam magis ad motum aptæ, dispellantur & ejiciantur. Ubi crisis aliqua per vomitum, vel alvum, vel hæmorrhagiam instat, à sudoriferis, ne operatio naturæ turbetur, tantisper superfedendum.

Sudorifera autem conveniunt ex card. ben. Zedoar. tormen: cc. p. Lap. Bez. corall. p. marg. p. Diafcord. Mithridat. Rob sambuci & cum aq. card. bened. in qua syr. papav. rhead vel sacchar. perlat. fit dissolutum.

Diureticis.

Diuretica item seu *urinas moventia*, quandoque cum fructu exhibentur, præsertim in intermittentibus, si natura eodem vergat: propinanda autem imprimis post alias evacuationes; ac temperantiora iis eligenda, quæ simul meatus aperiendi, humoresque attenuandi vim habent, qualia rad. scæn: petrosel. aspar capill. ven. Agrimon. Sem. frig. maj.

Diata.

Diata interim tenuis præscribenda est, ac in genere notandum illud *Hip. Aph. 10. sect. 2.* Impura corpora, quo plus nutriveris eo magis læleseris.

Potus.

Potus dum urget æstus, ac fitis, subtrahendus

hendus non est ; haud tamen eodem natura gravanda : Exhibendum autem moderate refrigerans quo non minus causæ morbificæ, quam intemperiei calidæ ratio habeatur : Convenit ergo cerevisia tenuis, aqua decoct. hordei cum julapio ros. syr. limon. &c. quin &, ubi materia crudior extra vasa consistit, abstergente quandoque, ac incidente potu utendum, velut sero lactis cui non nihil vini affusum sit: quandoque item vino ipso, præsertim rhenano.

Aer frigidior pro inspiratione eligendus est: ne tamen is officiat diaphoresi ac corporis poros occludat, corpus stragulis levis muniendum: somno moderato studendum est, ac quiescendum, imprimis in febribus continuis: alvus ne constipetur cavendum est, vitandaque pathemata animi præsertim mœstitia & ira.

CURATIO

Febris Synochi putrida.

Nihil prius in hujus febris curatione, quam larga sanguinis emissio, quæ pluribus vicibus iterari potest.

A Phlebotomia alvus clystere vel aliquo leni pharmaco emollienda.

Tunc potionibus refrigerantibus, putredineque resistentibus. calor febrilis extinguendus, putredoque corrigenda quæ portiones affatim toto febris decursu exhibendæ erisn, & conatum naturæ recte agentis cave ne intemptivo aliquo remedio interturbes, sed

Cura ab-
solvitur

1. Venæ-
sectione
2. Purgatione leni.
3. alteratione.

sed potius ei suppetias fer, respiciens quo natura vergit. In statu si nihil prohibeat frigidiæ liberaliorem potum ægro tuo dabis;

4. Corroboratione.

Tandem debiles & imbecilles naturæ vires confortare & corroborare cardiacis refrigerantibus oportet.

CAPUT VI.

Ex Galen.
1. diff. feb.
5. lib. 2.
cap. ult.
Avic. cit.
10c. cap 1.
tract. 2.

Quaratione in venis majoribus putrescant humores, ex quibus febris accenditur continua.

Humores ad putredinem apti sunt.

Prompte putrescunt calida humidaque corpora, idque fere quum infitus eorum calor quavis ex causa imminuitur: humor quippe tum vincens & effrenatus, nec caloris vi coercitus, è permissione terrene substantiæ secedit, graveolentia, ac foetore comitatus. Sic & corporis humores facile putrescunt, & ex propria in alienam substantiam concedunt.

Alias quidem in venis, aut omnibus, aut certe majoribus, alias in una quapiam particula.

Putrescunt autem in venis majoribus.

Idque interdum cum phlegmone, interdum citra phlegmonem.

In venis arteriisque majoribus febris accenditur continua, eo usque perseverans, dum humores, qui hanc gignunt, vel incendio consumpti, dissipative sint, vel quovis modo edomiti. Etenim venarum putredo non facile restinguitur, quod coarctata non libere perfletur ob loci densitatem, quodque adhæsu apparatus humores inquinet, & continua-

continuatione in propinquas, ex hisque in alias venas prorepat, transferaturve, nec antedefinat quam quicquid in venis vitiosum est, depopulata sit.

Duplex autem est putredinis ratio: alia in omnes, aut saltem in maximas venas æquabiliter invadit: alia ex una quapiam initium ducens in cæteris sensim continuatione perrepat.

Quæ in venas omnes pariter invadit, licet earum sanguinem, non tamen ejus omnes æque partes occupat. Quum enim non omnino simplex sit sanguis, sed ex multorum humorum permistione compositus & sero multo perfusus, primum quidem illius portionem putredini magis obnoxiamprehendit, ab hac deinde aliam ipsi permistam atque confusam, quæ minus quam illa sit vitiosa: hocque modo sensim obrepens simul cum calore præter naturam augetur & invalescit, nec ante definit quam partes omnes sanguinis putredini obnoxias absumpserit. Hoc perinde accidit, atque in ingenti phlegmone, in qua collectus sanguis non statim universus, sed ejus pars alia citius, alia tardius & putrescit, & suppurat: sic sensim augescens putredo in summum vigorem fertur: quemadmodum & dum ignem accendimus, aridiores primum stipulæ, deinde virgulta, postremo ligni materia, suo quæque concremantur ordine.

Omnibus quæ putrescere apta fuerant absumptis, putredo calorque febrilis cessat. manet tamen pars sanguinis melior, quæ, quoniam minus erat putredini obnoxia, huic

Et vel pluribus simul.

Integra puriori.

inviolata resistit, eaque licet putridæ permisceretur, illius tamen contagione minime computruit, sed duntaxat incaluit: restituta proinde sedataque putredine in pristinam illa puritatem redit. Atque tum urinæ puræ prorsus laudabiles apparent, quæ crassæ, turbidæ ac sine sedimento fuerant. Itaque ea putredine (nisi forte extremo exitio fuerit) neque sanguis universus, neque totus labefactatur. Nam solutâ febre, non omnino exhaustæ venæ manent, sed aliquid in his etiamnum inesse deprehenditur, idque utile & alendo corpori idoneum, quod tamen olim miscebatur putredini. Id ipsum contingit etiamsi nihil sanguinis recens genitum, nihilque cibi toto morbo sumptum fuerit, quod in extreme acuto fieri jubet Hippocrates.

1. Aph.
In quibus
febris.

Hac propemodum ratione putret sanguis in synocho putridâ: nec multo secus in caussâ, continua tertiana, in aliisve *continuis*. In his quippe non universus corrumpitur, nec omnes pariter humores, ex quibus constituitur (ita enim permiscerentur omnia continuarum febrium genera) sed is duntaxat qui maxime omnium vitiosus est. Atque ut hujus est natura, ita & consentaneum febris continuæ genus accendit, tertianam quidem continuam, si pituita: & quartanam continuam, si melancholia putrescat.

Velex una
vena pu-
tredo pro-
serpit in
aliam.

Altera putredinis est ratio, quæ non in omnes pariter venas, sed ab una quapiam (à qua forte initium sumpsit) continuatione in cæteras in earumque sanguinem & in humores

mores irrumpit. Obtingit hæc quum putrescens causa uni sit quam alteri venæ propinquior, aut quum sanguis non in omnibus eque venis sui similis habetur. Nam in qua magis ad putredinis conditionem accedit; in ea primum labe tentatur: dein vero (ni periculo prohibeantur) in iis quæ ordine succedunt: nec ante serpere ea putredo febrisque desinet; quam omnes venas sensim parvagata quicquid in his putrere aptum erat absorbuerit.

Varietas atque mutatio vena secta sæpe *quod præ-*
animadvertitur: nam interdum primus san- *batur.*
 guis emanat syncerus, mox dein corruptus: nonnunquam contra: & interdum è naribus purissimus, è secta cubiti vena vitiosus: quod & Hippocratis auctoritate celebratum est. Hinc dissimilium symptomatum origo: aliis per febres lumbi maxime ingravescent aut ardent: aliis præcordia siti æstuque flagent: aliis vel animi defectio, vel summa spirandi difficultas molesta: aliis capitis dolor, vigiliæ; aut deliria; ut partis natura fuerit quam putredo obsidet. Hinc & inordinatæ febres, quum priore relicto humore, corruptela alterum adoritur. Hinc febrium implexus, quum humores obsidentur varii. Hinc & prædictiones fallaces, *Ex Gal. 1.*
 quum priore humore jam fere edomito vi- *de diff. feb.*
 ctoque, alius aliove loco putrescere incipit, *cap. 3.*
 qui post concoctas urinas crudiores alias de se profert.

Putredinis efficiens causa duplex, una propria & intima, altera externa. *efficiens putredinis*

Putrescunt corporis humores propria in- *causa.*

simaque causa, dum in se vitium obtinent, quod nullo naturæ beneficio emendari potest. Ita quidem sensim ac tempore corrumpuntur, idque sponte sua, nullo extrinsecus suscitante.

*Vel interna
& pravum
alimen-
tum.*

Id vitii genus fere ab *alimentis corruptis*, & quorum vitiosa est substantia, contrahi solet: cujusmodi sunt frumenta, legumina, ova, pisces, carnes, & quæcunque aut vetustate aut negligentia, corruptione quadam labefactantur.

*Corruptu
facile.*

Contrahitur & à cibus quidem probis, sed qui *facile corrumpuntur* aut putrescunt: quales sunt lac, horarii fructus, & quicunque alieni vitiosique sunt succi: ex his quippe genitus sanguis tametsi concoctione crebram mutationem subiit, pristinae tamen conditionis & ejus à quo nascitur, nonnihil etiamnum ubique retinet.

*Intempe-
stive inge-
stum.*

À cibus *intempestive* aut ordine præpostero *sumptis*, ut quum priore nondum confecto alter ingeritur: aut quum duri concoctuque difficiles levioribus præmittuntur, quorum infirma est substantia.

*Viscerum
affectio
mala.*

Corrumpuntur postremo ac putrescunt humores, interiorum partium, ut ventriculi jecoris, omniumque *viscerum affectione* mala. Hæc enim in alimenta concoctione imprimitur, quæ etiamsi purissima sunt, tamen contracta labe inquinantur.

*Vel externa
est obstru-
ctio.*

Externa porro *causa* putredinis duplex, *obstructio* & *putridorum occursum*.

Obstructio à crassis viscosisque humoribus tanta, ut perspirationem impediatur: tum enim quia nec perflantur, nec refrigerantur

tur humores , etiamſi probi ſint , naturali calore ſuffocato , vel diminuto putreſcunt. Eandem vim obtinet & obſtuctio quæ à vaſorum fit plenitudine. At quæ ſupra vires eſt plenitudo , idcirco putreſcit , quod nec concoqui , neque regi ab imbecillis viribus poſſit.

Putridorum occuſus , ſpiritus primum , deinde humores ipſos corrumpit , ut aëris , halitus , vaporisſque putridi inſpiratio , & vel ſcabie , vel putrida febre , vel lue venerea inquinato accubare.

Non pauci contendunt , unam obſtructionem , quæ perſpirationem prohibeat omnis putredinis cauſam eſſe , nihilque in nobis citra hanc corrumpi poſſe. Neque eum humorem , ex quo calor , præter naturam vaporque teter facile totus exit , quique libere perflatur , unquam putredine tentari.

At contra , evidens perſpicuumque eſt , vitioſos cibos sæpe in ventriculo aliisve partibus computrere , & peſtilenti conſtitutione tum inſpiratu , tum perſpiratu humores corrumpi , licet corpus omnino patens laxumque ſit , & omnia ſpiracula dehifcant , aëreque frigido perflentur. Multis quippe aliis ex cauſis poteſt citra obſtructionem innati humidi calorisſque ſubſtantia minui , alienuſque calor introduci , qui efficiens eſt putredinis cauſa.

Putridorū occuſus.

Perſpirationis prohibita unica non eſt putredinis cauſa.

CAPUT VI.

Ex Gal. 2.
de diff.
feb. cap. 2.
Avicenna
loccit.
Febris con-
tinua est.

De febre continua quæ conclusa nuncupa-
tur, deque ejus differentiis.

Vel prima-
ria,

Vel sym-
ptomati-
ca.

Ille syno-
chus est.

Vel putri-
da.

Quinam
ad hanc
proclives.

Causa ea-
dem san-
guis.

Continuæ febris subjecta materia in vasis est majoribus, quæ illic putrescens aut ipsam de se putredinem aut putrem vaporem in cor affiduo continenterque fundit, è quo assidua fit putrida febris, quæ conclusa nuncupatur.

At quum vel in inguine, vel in femotiore loco coarctata hæret, tum nec putredinem, nec ejus halitum, sed unum calorem partium continuatione in cor infert, è quo solum vel diaria febris fit, vel *symptomati- ca*.

Ea autem venarum materia sanguis est: in quo (siquidem ex æquabili humorum permissione constet) *synochus* consistit.

Si vero ab illius mediocritate deficiens, vel biliosus, vel pituitosus, vel melancholicus appelletur, in eo *putrida* febris excitatur *continua*.

Ut igitur *synochus* non nisi in temperata natura, quæ multo sanguine eoque mediocri abundat, & quæ carnosus est habitu, gigni solet: ita & *putrida continua* iis duntaxat *obtingit*, qui ab hac mediocritate recedunt, biliosis, pituitosis aut melancholicis.

Hic autem eorum meminisse velim quæ in Physiologia fusius demonstravimus, in venis nihil præter *sanguinem* cum sero contineri, & quicquid foras effusum con- crescere potest,

potest, sanguinis nomine comprehendi: nullos illic secundum naturam humores esse synceros, & supervacaneos, sed eos quatuor, ex quibus sanguis constat, vere succos esse quibus alimur, neque aliud illic bilem esse quam totius sanguinis partem tenuem atque calidam, quam etiam biliosum sanguinem appellamus: neque aliud pituitam quam sanguinis partem crudiores: neque aliud melancholiam quam terrenam portionem & melancholicum sanguinem.

In quibus igitur non æquabilis inest succorum permixtio, ex putrescente æquabiliter sanguine febris accenditur continua: & quibus sanguis multum biliosus est, tertiana fit continua, quibus is pituitæ quam cæterorum humorum magis particeps fuerit, continua fiet quotidiana: & quum nimio pere in melancholiam devertet, continua quartana.

Est autem *continuarum* omnium genus duplex. Vnum earum quæ ab initio in finem perseverent nullo stato excandescentiæ ordine. Hujusmodi sunt synochos putrida, & quæcausus appellatur. Alterum earum, quæ nunquam intermittunt, remittunt vero & excandescunt, aliæ quotidie, ut quotidianæ continuæ; aliæ alternis diebus, ut tertianæ continuæ, aliæ quarto die, ut quartanæ continuæ.

Qui ordine nullo excandescunt, earum materia in venis est cordi proximis, ac proinde putredo cor assiduo pari vehementia exercet.

Cætera vero causam in venis habent ali-

aliquantum disjunctis, è quibus putredo in cor pari impetu affiduo ferri nequit. Harum autem excandescencia, non ut intermittentium, vel à rigore, vel ab horrore vel à frigore initium habet, nec sudore solvitur, nec in apyrexiam definit. Talis est omnium earum continuarum ratio quas *conclusas* appellavi. Earum quippe materia in venis coërcita ac putrescens, tametsi quadam ex parte per cutis spiracula sine sentu dissolvitur, non tamen potest, ante perfectam solutionem tota depelli.

*Quenam
barum sit
frequen-
tior.*

Aetius lib.

5. cap. 77.

*Avicenna
loc. cit.*

cap. 1. 2. 3.

*Qui dignos-
catur pre-
trida ab
ephemera.*

Continuarum *frequentissima est* tertiana, rara quotidiana, rarior quartana continua: utraque crebrior est continua inordinata. Sanguis enim quisquis admodum pituitosus vel melancholicus est, quia frigidus, ægre admodum putrescit, neque hinc vehemens febris, sed duntaxat lenta aut languida excitari solet, quæ fere inordinata evadit.

Putrida febris ab ephemera his notis statim initio *discernitur*. Prægreditur inæqualitas quædam & neutra corporis constitutio, ex ea certe plethora vel cacochymia, quæ sensim cumulatur ceu futura febris materia: hinc spontanea corporis lassitudo, motus gravis atque piger, somnus turbulentus immoderata vigilæ, hypochondriorum distentio, respiratio difficilis, venarum repletio, capitis temporumque dolor gravis, ac interdum pulsans. Ex his demum excrementa succrescunt præter naturæ consuetudinisque modum: ut sudor insolens sputum mucosive exuperans, nausea aut vomitus, alvi dejectio, aut urina copiosa & fœtidior

Talia

Talia fere existunt in neutra corporis constitutione, quæ putridam febrem antever-
tunt.

Quum vero jam febrisprehendit, *putridam hanc esse testatur*, quod ex *neutra* corporis constitutione, non ex solâ evidente causa processit, vel enim sponte ex corporis præparatione fit, vel à causis evidentibus, quæ præparatum corpus excitant ac movent. *Calor* in ea non mitis ac blandus, sed acer, mordax, & qui tangentis sensum acriter feriat, non ipso invasionis initio, sed vel in augmento, vel in statu, idque maxime si diutius corpori manus insideat. *Pulsus* atque respirationis inæqualitas: velox enim est systole, diastole vero tardior, idque præsertim augescente calore: quum enim ex incensa putredine multa torrida & fuliginosa excrementa spiritus humoresque premant, natura systole festinat depressa arteria illa excludere: neque tantâ necessitate nititur per diastolen refrigerium allicere. Est & plurium pulsationum inæqualitas: modo tardus est pulsus, idque ex inæqualitate varioque motu putredinis: Et rursus modo fortis, modo languidus, alias quidem oppressa, alias levata natura. Est & pulsus velox, simulque parvus initio, in vigore tamen velox atque magnus, ita quidem urgente refrigerii necessitate. Urina penitus cruda vel obscure concocta, idque maxime initio: Crassa enim rubra ac turbida existit, in quâ nihil secernitur: interdum & ex vehementi obstructione tenuis quidem, sed rubra & turbida: sæpe acris &

*Diagnos-
tica signa
putrida
febris.*

mordax, sæpe gravem foetidumque halitum efflat. Exspiratio aut sudor præter consuetudinem graveolens. Si exactis horis viginti quatuor febris ex toto non *desinat*, nisi hecticæ suspicio sit (quod est certe rarissimum) affirmari certo potest hanc ex humorum putredine accendi.

*Continua
signa dia-
gnostica.*

Continuam porro *ab-intermittente* his notis *discernes*. Nullo rigore aut frigore prægresso repente calor hominem adortur: aut si quando rigor, horror frigusve (ut sæpe fit) animadvertitur, noxij humoris non parum circum præcordia inhærescit, qui horrore concutit dum totus calore sit incensus. *Pulsus* inæqualitas major, quam pro caloris vehementia: ultra horas vigintiquatuor exporrigitur, neque ut intermittens, vel manifesto sudore, vel sensim hoc tempore *desinit*, sed perseverans eousque durat, dum prorsus conquiescat.

*Ardentis
signa de-
monstra-
tiva,*

In ea autem continua quæ *causis* appellatur, imprimis conspicuæ sunt communes putredinis *notæ*: perpetuus & constans est ardor, isque fere æquabilis, nec manifeste tertiano motu excandescens: vehemens est præcordiorum æstus: spiratio difficilis ac pene suffocans: jactatio inquietudoque indefessa: vigilia deliriumque frequens: sitis inexhausta: lingua nigricans, sicca, scabra, fereque amara.

Lipyræ,

Quod si tanta accedat malignitas ac pernicietas, ut interiores partes ipsaque viscera uri videantur, simulque extrema frigeant, peculiari ea jam nomine *lipyræ febris* appellatur. Ardentium quidem deterrima, in qua interioris

interioris ardoris vehementia, instar cucurbitulæ, calorem ad se ex toto corpore revocat.

Tertianæ vero *continuae* manifestior est remissio, manifestior & exacerbationis motus, nullo frigore aut rigore præhendens, nulloque insequente sudore mitescens: cæteræ, quæ in causo, notæ, at leviores apparent.

Continua quotidiana aut *quartana* si quando incidit, excandescentiæ ordine circuituque internoscetur. Utraque sine frigore aut horrore exacuitur, mitescitque nullo sudore, prior quidem quotidie, posterior quarto quoque die. Putredinis quidem notæ adsunt, sed admodum obscuræ, neque pulsus ea celeritate, frequentia aut inæqualitate fertur atque in cæteris. Neque urina peræque flammea aut rubra est, etiamsi fortè crassior sit, neque tanta premit symptomatum sævitia. Adhæc laborantis natura & habitus & victus antecedens qualis habeatur venarum sanguis ostendunt, & qualis hinc nata sit febris.

Fere autem *continua* quæ *tertiana* non est, *inordinata* deprehenditur, bis terve uno die, altero aut semel, aut minimè excandescens. Raro quippe obtingit, ut unicus in sanguine solitarius humor putrescat. Quocirca putridarum febrium admodum varia signa & symptomata se proferunt. Cæterum cujus generis *inordinata* febris magis particeps sit, ex iis signis quæ unicuique propria sunt colligi potest.

Tertiana

Quotidiana
&
quartana

Inordinata

*Fern. meth.
cur. feb.*

cap. VIII.

*Gal. 2. de
crisibus*

cap. 6. II.

Et Aetius

Avicenna

cit. loc.

Continuæ

febres ter-

za hebdo-

mada crisi

judican-

tur.

*Continuarum febrium iudicium qua ter-
minantur Crisi.*

Continuum febrem secunda, aut (quod tardissimum est) tertia hebdomada decretorie solvit. Sive enim Synochus ea sit, sive caussus, sive continua conclusa, si primaria est, putredinis materiam habet in venis coercitam majoribus, quæ inter alas & inguina excurrunt: quumque nulli visceri, nulli parti affixa ea sit, sed in venarum capacitate cum sanguine ejusque sero fluctuet, satis hoc temporis curriculo solet à naturâ domari atque concoqui, & nunquam hærens excludi forasque depelli: id autem decretoria est solutio illius.

*Aut in a-
lium mor-
bum com-
mutantur,*

Quæ etiã febris commutatione solvitur, quoniam hæc imperfecta quædam crisis est, qua non omnino natura potest materiam excludere, sed subsistit ea aut in aliquo viscere, aut in adenibus, aut in aliâ parte corporis in qua morbum novum progignit: ea inquam commutatio, quia crisis quædam est, tertia saltem hebdomada fit.

*Aut vehe-
mentiam
remitteat
& sensim
solvantur,*

Quæ vero non repente crisi, nec excretionem, nec commutationem, velut abscessu, solvitur, ea tamen vel decimo quarto die, vel vigesimo summum fervorem summamque symptomatum sevitiã deponit, idque nulla, vel imperfecta excretionem, ac decade quasi speciem generis mutet, lento progressu & dierum numero sensim paulatimque desinit. Longa hujus est inclinatio, diciturque concoctione paulatim solvi. Etenim vitiosus humor,

humor; qui sanguini permiscetur in venis, ac etiam sanguis totus venarum si vitiosus fuerit, diebus viginti aut triginta, totus absumi solet ac ferè totus renovari, si modo purius sufficitur alimentum, nec jecoris viscerumque impuritas aut vitiosa quædam constitutio obsistit.

Si quam igitur febrem contingat supra diem vigesimum pari, aut etiam majore acrimonia & magnitudine exporrigi, hanc tu *symptomaticam* censeto: atque eam vel interiore phlegmone & abscessu, vel ex putredine visceri alicui impacta profectam.

Solutio autem quæ perfecta fit *crisi*, *imprimis optanda*, ut quæ depulsa morbi materia omni, nihilque reliqui faciens, summam quietem & integram valetudinem restituat. Quæ vero sensim ac paulatim fit ut maxime fastidiosa est prolixitate, ira & minime tuta, & sæpe cum metu recidivæ. Atque si quidem ipsa declinatione (quia adhuc impurum est corpus) æger quicquam committat, facile relabitur.

Putridæ porro febris continuæ crisis nulla fit perfecta *sudore*: quanquam enim sudor decretorio die (ex Hippocratis sententia) confert, atque, dissipata tenui quadam humoris portione, febris fervorem lenit, & impetum sedat, non tamen potest crassiorrem eam putrescentem materiam educere, quæ febris est fomes.

Sanguis quoque seu ex naribus, seu ex hæmorrhoidibus, seu ex utero profluens die critico, licet synochum solvat, neque tamen causam, neque continuam terminare potest: neque

Quod nisi fiat, symptomatica sunt.

Gal. 3. de

Cris. c. 3.

Optimum autem judicium

crisi est.

Non sudore,

Non hæmorrhagia.

neque harum perfectam, atque tutam crifim feciffe deprehenditur, quod exiguam duntaxat puritatis portionem cum majore portione utilioris languinis magna virium jactura educat.

Non abceffu, *Abceffus* unus, ut parotis aut bubo, nequit univerfam febrem excutere. At fi vel plures fparfim erumpant, vel undique in articulos artufve confluentes tumores excitent febrem quidem folvere poffunt; at certe difficultate non modica: quod exorti dolores non parum excrucient, eofque ferè lenta quædam febris comitatur, ac tum febris non critice, nec folutione, fed commutatione potius terminatur.

Sed alvi excretionem. Una igitur *alvi fpontanea folutio* atque perturbatio continuam febrem tuto ac perfecte judicat. Ea quippe fola poteft putridam febris materiam perfecta jam concoctione apparatus prorfus excludere, atque viscera & majores venas, fordida illuvie obfeffas, citra virium & naturæ jacturam & offenfionem expedire.

Aut vomitione in intermittibus, non continuis, *Vomitio* intermittentes febres plerumque judicat, continuas vero non item. Licet enim ventriculus & circumpofita vomitione feffe facilè exonerent: majores tamen venæ, dejectione potius per eas venas quæ è jecore in intestina contendunt expurgantur.

Prefpecta igitur febris fpecie cognitum hinc effe poteft, qua ratione ea, fi falutaris fit, fecundum naturam facilè, utiliter, perfecte, ac tuto judicari & decretorie folvi debeat.

Nunc autem exponendum, quo pacto ea

toto morbi progressu debeat à natura dirigi, ut ad hanc convenientem & perfectam crifim perveniat. Primum autem in exquisitis (typis exercitari unumquemque ve-
liim.

Continua febrís, quæ ex fuâ magnitudine, impetu, & more, primis diebus cognoscetur, *judicanda decimo quarto die*, si exquisitam motus & progressionis formam servat. Primum quidem repente invadit, & certam atque manifestam habet invasionis horam. Quæ enim repente invaserit, repente quoque (nisi aliunde quippiam obftet) solvetur: quæ vero clam, obscure, & longa præcedente lassitudine vel inæqualitate invadens nullum manifestum ortus sui initium habuerit, nec repente, nec crisi ullâ solvi potest: par enim exitus atque ortus est ratio. Rursum quæ nullius evidentis causæ vi, sed in corporis animique quiete summa, ut sub noctis & somni finem suscitatur, gravior ac multo periculosior est, quam quæ prægressæ causæ impulsu, & post diei æstum atque laborem obringit: omnem enim ortus sui causam intus habet in corpore.

Febris igitur cujus formam & progressum *explico*, sive ab aliquâ sive à nulla evidente causa processit, repenteprehendit, certumque habet ortus sui initium: Hocque modo blandum est ac mite, modo acre ac vehemens. Sensim hæc increscit ad diem septimum, licet non pari semper impetu laborantem exerceat. Urinas exhibet interdum biduo (quum nondum putredo invaluit) sanis non admodum dissimiles, sed quæ

Gal. ibid.

cap. 4.

Continua

qua die 13.

judicetur.

Quem interea motam habeat.

Vsque ad diem septimum,

quæ postea, augescente putredine, crassescunt, rubent atque confusæ sunt. Interdum etiam statim initio crassæ, rubicundæ & confusæ, mox dein obscuræ coctæ existunt, talesque fere in diem septimum permanent.

Vndecimum.

Septimo die gravior quædam fit morbi perturbatio, quam vel sudor vel spontanea alvi biliosa dejectio excipit, quemadmodum salutaris est, & pollicetur perfectam crisin posthac futuram. Sedatâ diei septimi perturbatione urinæ manifestam coctionem exhibent, estque tum vere morbi incrementum, licet ab ea perturbatione sæpe tanquam ex imperfecta crisi symptomata mitescunt: æger enim plurimum levatur, atque interdum sine febre existit. *At ijs, que ex ratione non levant, confidendum non est, inquit Hippocrates.* Urinarum concoctio nonnunquam persistit, nonnunquam intermitit: ac deinde redit atque relucet.

Decimum quartum.

Vndecimo autem die febris aut redit, aut invalescit: isque summus est morbi vigor, qui fere permanet in diem quartum decimum. Hoc die, atque interdum decimo tertio, febris vehementius excandescit cum signis perfectæ concoctionis, nempe cum hypostasi alba, levi & æquali: quumque ea excandescencia & exacerbatio inclinât, febris repente solvitur ac desinit, idque suborta dejectione biliosa & copiosa, quæ in diem unum aut etiam in alterum perseverat.

Et inde si perfecta crisis.

Ab hac igitur perturbatione & copiosa alvi dejectione æger necessario imbecillior evadit;

dit: at nihilominus si perfecta crisis ea fuit, febris nulla prorsus manet, nullus capitis dolor, nullum denique febris symptoma, sed summa inest corporis tranquillitas: plenisque tamen sudor præsertim dormientibus emanat, quæ omnium est evacuationum postrema. Hæc quidem perfecta est & repentina morbi sanatio, cujus brevis est admodum declinatio, tum solum durans, quum alvus solutior noxiam materiam excludit.

Si non omnino perfecta crisis fuit, cohibita aut subsistente alvi dejectione, febris etiamnum aliquanta manet, quam & symptomata levia comitantur: sed non multo post omnia desinunt, ac tum morbi inclinatio prolixior est atque manifestior, in qua & plures sudores erumpunt.

Si (quod rarius est) acutior febris septimo die solvenda est decretorie, ea primo statim die hominem vehemens adoritur, urinæque rubras, crassas, atque confusas pro-
 mit: quarto vero die concoctionem quamdam sed quiete manifestiorem exhibet; nullaque aut certe levissima atque minima remissione in diem septimum perseverans, tum magna admodum perturbatione concutiens, repentina quoque alvi dejectione crisin habet, eamque modo perfectam, modo imperfectam.

Quæ undecimo die solvetur, omnia quadam mediocritate habet, & rarior ea solutio.

Quæ vero vigesimo die, aut vigesimo primo crisin est acceptura, fere languidior initio existit, dieque septimo summam cruditatem habet, quæ in undecimum ac sæpe decimum

Si non perfecta?

quem notum habet die septimo solvenda,

Vndecimo.

Vigesimo.

eimum quartum perseverat : ac tum fere primum apparente concoctione mitescit, idque interdum vacuatione quadam imperfecta, interdum etiam nulla. Raro enim fit ut in diem vicefimum summa illius sævitia perduret, quumque sese illa remiserit, vigesimo tamen appetente, excandescit, & perturbatione suborta, alvi tandem eruptione biliosa solvitur, quæ in plures sæpe dies continuat.

*Hoc morbi
decurſa
concoctio-
nis judicium
& vehe-
mentia
ſympto-
matum
non coinci-
dunt.
2. Aph. 30.*

Hic autem obiter animadvertendum, febris atque symptomatum sævitiam, quum primum signa concoctionis apparent, sæpius mitescere : neque usu observavimus, in ipso statu concoctionis omnia esse gravissima, neque (quod dixit Hippocrates) omnia cum incipiunt & finiunt leviora esse, cum consistunt graviora. Raro enim fit, ut tempora concoctionis prorsus respondeant & consentiant symptomatum temporibus. Id autem idcirco contingit, quod non parum materię morbi vacuatione subtraximus ante concoctionem, qua subtracta tum febris tum symptomata ejus mitescunt. Fortasse autem Hippocrates omnia censuit in statu fieri gravissima, quum curatio tota nature committitur, universaque morbi materia conservatur in extremam crifim. Tum quippe ratione optima & crifis ipsa vehementi perturbatione fit, & status quoque crifim præcedens vehemens existit.

*Nec id
operari de-
bet.*

Quoniam autem vehementi huic perturbationi è crifi periculum non deest, præstat certe, multo ante tempore non nihil materię morbi demere, ut omnia deinceps

ceps tranquilliora & tutiora succedant. Atque licet & venæsectione & medicamentis purgantibus multum sit illius materiæ ante judicationem detractum, natura nihilominus motus suos statis temporibus observans, concoctionem ac tandem decretorio die crifim molitur ac perficit, sed tamen perturbatione atque vacuatione minore: Id igitur in morbis salutaribus efficit artis curatio ut & breviores illi evadant & securiore tranquillitate solvantur. Nonnunquam etiam leviter exitiales salutare reddit.

Hæ formulæ sunt continuarum febrium, quæ perfecta crisi terminantur ad salutem.

Febrium continuarum judicium, quæ terminantur solutione aut commutatione.

Aetius & Avicenna cit. loco.

Continua vero febris, si crifim habitura non est, vix initio potest internosci, at in progressu præsertim quum jam concoctionis signa apparebunt. hinc autem dignoscitur, quod neque vomitio, neque alvi dejectio biliosa ulla sponte fit, nec facile sudore corpus diffluit, nec facilis est aut libera satis medicamentorum purgatio: sed quasi præclusis omnibus vacuandi vijs, aut humore contumaciorie existente nullam natura vacuationem sponte molitur. Raro quippe perfectam crifim natura efficit, quam non ante spontanea quadam vacuatione præmonstraverit. Contra, quum viis omnibus expeditis ac liberis humores purganti medicamento facile obtemperant, &

Quæ febris crisi non terminatur.

nonnunquam, præsertim diebus iudicibus aut decretoriis, aut vomitiones, aut dejectiones biliosæ sponte prodeunt, facile laborantis tolerantia futura crisis sperari potest.

*Sed solutio-
tione?*

Continua igitur febris, quæ jam appa-
rente concoctione salutari speratur, si nul-
la vacuatione spontanea impetum fecerit,
sensim atque paulatim *concoctione atque dige-
stione solvetur.*

Quo motu?

Licet autem nullas sponte vacuationes
exhibeat singulis tamen *criticis diebus* ex-
acerbationem impetus habet, quibus vi-
ctricis naturæ molitionem ostendit: quum-
que vel septimo, vel quarto decimo, vel
vigesimo die, perfectæ concoctionis signis
apparentibus, summum vigoris impetum
fecerit, reliquo deinceps tempore sese re-
mittit, ac perseverante concoctione sensim
decedit, dum prorsus desinat, nulla va-
cuatione suborta. Hoc autem tempus to-
tius est morbi declinatio, quæ longa pla-
ne, ac interdum toto morbo diuturnior ob-
tingit.

*Eam facile
recidivam
admittere.*

Quæ nulla vacuatione, sed sensim con-
coctione solvitur, facile *minimoque errore re-
dit.* Ab hac enim corpus non æque purum,
atque à perfecta crisi manet: quumque pri-
stinæ qualitatis nonnihil etiamnum reti-
neat, si quid vel alimentorum copia & qua-
litate, vel labore, vel vigiliis peccatur, ex
veteri fermento nova putredo excitatur,
facilisque in pristinam morbum relapsus.
Corpore vero per crism exquisitè purgato,
nihil efficere potest externarum eviden-
tiumque causarum injuriæ.

Est

Est porro tertia febrium solutio, quæ *Quæ febris commutatione terminetur.* Nonnunquam enim continua in tertianam, nonnunquam (idque sæpius autumnò) in quartanam degenerat. Id autem accidit, quum crassior est venarum materia, quam ut in alvum prorsus extirpari possit : aut quum magna viscerum obstructio ac diversitas obsistit, ne morbi materia devolvatur in alvum. Ab his quippe causis peccans febris materia, vincens naturæ robore à venis excussa, nec excidere potens in alvum, hæret ac subsistit in mediis visceribus, illicque fixa & obhærens, servansque putredinem ex loci, id est, præcordiorum natura atque conditione, *In intermittente facit,* quæ præsertim materiæ situ à continua differt.

Sic propemodum nonnunquam natura, materiam noxiam è venis in summum corpus expellens, dolores articulares infert *In abscessum.* pro solutione, quam crisi tentat & molitur, nec tamen perficere potest. Sic & *abscessus* & bubones interdum sub febris finem erumpere videmus.

De iis porro febribus quarum *Quarum materia turgere dicitur,* quos impetus faciant, æstimandum, ut intelligatur quis earum tandem sit exitus futurus. Causa quæ hunc illarum impetum facit, non simplex est putredo sed peculiaris quædam humoris malignitas, aut ex acrimonia vehementiore, aut ex venenata qualitate profecta, ob quam ita impulsus humor nullo potest loco subsistere, sed in venis majoribus licet conclusus, huc tamen illucque, quasi æstuans

ut mare, effertur, ac plerumque è venis in nobilem aliquam partem erumpit.

*Quomodo
ea cogno-
scantur ?*

Noscitur autem *materia turgere*, quod in ea febre licet nec dolor ullus nec calor atrocius urgeat, magna tamen percipitur corporis perturbatio, magnaque inquietudo atque jactatio, Dolores quibusdam modo in hanc modo in illam partem infiliunt: quumque materia sese aliquo infixit, sæviora symptomata emergunt. Itaque alios summa spirandi difficultas obsessis pulmonibus premit, cum suffocandi periculo: alios syncope repentina, aut periculosa animi defectio: quam interdum vidi supra horas 24. sine ullo pulsu perseverare citra exitium: alios cruenta expuitio apertis magnâ vi pulmonum venis: alios delirium, quum cerebri arcem humor invasit: ac deinde ejus impetu & ardore sedato cataphora, nonnunquam in externas quoque partes profilit summo dolore, tanquam sit abscessus futurus, & erupturus modo in alas & inguina modo in latus, idque cum tussi, cum spiritu difficili, & cum expuitione cruenta, quasi vera pleuritis esset.

*Quam incertum sit
de iis judicium,
2. Aph. 19.*

Hinc igitur fit, ut *acutorum morborum*, quorum præsertim *materia turget*, *prorsus* (ut inquit Hippocrates) *incerta sit prædictio*. Ancipites enim ii fere sunt, & inopinata quoque eorum symptomata, idque ob turgentis materiae impetum: neque si jam concoctio appareat, certa salus esse debet. Quæper has febres ex humoris impetu emergunt, ut laterum dolores, sanguinis vomitiones & expuitiones, exanthemata purpurea, bubones,

bubones, parotides, animi defectiones, aut syncope, pro crisi perfecta censerī minime debent: licet enim ipsum humoris furorem atque malignitatem interdum finiant, reliquam tamen putredinem, quæ præcipua est febris causa, non eximunt; sed huic necessaria est alia major, eaque universalis vacuatio, quæ totius febris judicatio fit: parotidas igitur, vel delirium, vel cataphoram, at non ipsam febrem universam solvit.

Hactenus omnem rationem atque formam expressi, quæ continuæ febres salutare progrediuntur, & quæ etiam aut repente crisi, aut sensim concoctione solvantur, sive earum materia turgeat, sive non turgeat,

Nunc de exitialibus dicendum, quis earum progressus, & quis exitus sit: idem quoque de pestilentibus.

PROGNOSTICA.

CAUSI:

EX Paschali Causus celerrime judicatur aut ad salutem, aut ad mortem, exquisitus diem. 7. non transcendit, ætate frequentior est, hyeme si continget periculosior: vires non prorsus dejici, etsi mala signa adsint & bene se ad ea quæ offeruntur, habere, bonum est. si rigor die critico apparentibus concoctionis signis superveniat, propter subsequentem evacuationem, cujus rigor prænunciatus est, solvitur morbus. alioquin si nulla subsequatur excretio exitium potius

adfert. si citra rigorem excretio erumpat, vel *sanguinis* per nares, quod huic feбри fere commune est, vel *biliosi humoris* per alvum vomitum, urinam, vel *sudoris*, si signa bona antecedant, & alleviatio sublequitur, salutaris est; si symptomata statim initio summa, & magna sunt, ut anxietas, coloris faciei mutatio, sudor levis, & frigidus, vigiliæ, vomitus, & dejectio mere biliosa, intempestive facta, nigra, livida, tenuis, & alba urina, si squallescit cutis, carpuntur flocci, stragula colliguntur, & convolvuntur; si extrema frigescent, nullis apparentibus concoctionis signis, mors prædicanda, eo confidentius, quo plura ex his apparuerint,

C U R A T I O .

C A U S I

*Curatio
causi ab-
solvitur.*

1. *Venase-
ctione.*

2. *Purga-
tione.*

INDICATIONES præcipue sumuntur ab ipsa febre, causis febris, & ægri viribus. Remedia quæ hisce indicationibus respondent adhibenda, è quibus primum & securissimum est *venæ sectio*, quæ ardorem non parum reprimit, & vitium, quod est in sanguine, plenitudinemque sanguinis, quæ naturæ gravis est demit, aut saltem ne porro incallescat, impedit. Sectioni comes esse debet *cacochymie detractio* per medicamenta *purgantia*, est enim in febre ardente sanguis biliosissimus, humoresque in partibus inferioribus contenti fere bilescunt, qui nisi convenienti pharmaco expurgentur, ardorque inter-
ternus

ternus reprimatur, febrem longè intensiorem reddunt.

Et quia frequens est in istâ febre nausea, & ventriculus humore bilioso, quem oris amaror luculentus testatur, refertus est, vomitus tempestive concitatus insigne adfert auxilium. Postquam causæ proximæ, nempe materiæ putrescenti occursum est, reliquis expugnandis incumbere oportet potionibus refrigerantibus; Si nihil prohibeat, largus frigida haustus exhiberi potest.

Porro in his omnibus ita versari decet, ut nullum impedimentum naturæ rectè agenti afferatur;

Symptomata, quæ ægrum adeo discruciant, magnâ curâ & cautione tractanda sunt, nequod excerni convenit, impediendo, & fuliginosum effluvium intro repellendo, vel refrigerantibus vehementioribus, quam morbo conveniat, demulcendo, exitium certum, vel morbus alius febre gravior inferatur, factius enim est ægrum tantisper affligi, quam mori. Et quoniam vires à febre magnoperè debilitantur, non minor earum ratio habenda est, ne nimium fatiscant, itaque *cardiaca* restaurantia exhibenda.

Tandem & *sudorifera* exhibenda valida, sæpius enim natura materiæ peccantis reliquias per *sudores* expellere solet, quare tum eos non inhibebis, sed potius promovebis, nisi forsan ex certis indiciis discas ad aliquam quampiam criticam evacuationem naturam se accingere, talis enim naturæ inclinatio adjuvanda est.

3. *Vomitus.*

4. *Alteratione.*

5. *Symptomatum mitigatione.*

6. *Virium corruptione.*

P R O G N O S T I C A

Lipyria.

EX *Foresto* Febres lipyriæ sunt perniciosæ, Emalignæ, & lethales. Febres lipyriæ, inquit *Hippocrates coac. prænot. sect. 2. Aph. 120.* Non nisi per choleram effusâ bile solvuntur.

C U R A T I O

*Lipyria.**Curatio.*

EX *Hollerio.* Lipyria primum quidem Ephlebotomia, deinde refrigerantium usu, ut lactucæ ex aceto diluto, ac jam vergente morbo largo haustu aquæ frigidæ curari debet.

Ex Valetio abstinendum omni medicamento purgante, præcipue si ventriculus infletur, ne à cathartico in affectam partem attractio fiat. *Galen. 13. m. m.*

Ex Foresto: Abstinendum in hac febre ab illâ potione, quæ dicitur confectio alkermes. Cibus sit cucurbita, cremor prisanæ, pepones, Endivia, lactuca. Extrinsecus præcordiis impone hoc sequens. Recip. succ. sempervivi, lactuc. portulac. plantag. uvar. acerbar: an. p. j. hordei q. s. m. isc. f. cataplasma liquidissimum.

P R O.

PROGNOSTICA

Tertiana continua.

EX Paschali. Tertianæ continuæ, si exquisita sit, proprium est terminari 7 exacerbationibus, vel quod longissimum est 14. ad modum tertianæ intermittentis, raro enim ad 20. protenditur, per se quidem minimè est lethalis, nisi vel error alicujus insignis committatur, vel malignitas, vel vitium quoddam internum concurrat, cui non sit proclive subsidium adferre, crisis etfi non adeo conspicua sit, ut in ardente, quædam tamen apparet scil. 7. vel 14. die per sudorem, urinam, alvi dejectionem, vel erysipelas, vel vitium quoddam aliud cutaneum. Quo autem major est biliosæ materiæ in cutim eruptio, vel per alvum dejectio, hoc perfectior crisis, securior febris solutio: Si vero eruptio critica non respondeat magnitudini febris, vel recidiva, vel lenta solutio spectanda: quæ autem lethalis futura est, vires indies magis prosternit, citra ullam criticam evacuationem, aut si quid excernitur die non decretorio, naturæ fatiscantis significationem habet.

Ex Foresto. Lingua in hac febre cum asperitate, nigra exiitens, febrem deteriore notat, sin alba, leviolem, si citrina, mediocrem: Si convulsio, vel oris tortura superveniat, vel oculorum contorsio, pleamque lethale.

Urina in principio rubra, vel citrina, si subito

subito alba evadat, & tenuis, expectabis phrenitidem portentosam: in hoc casu cerebro repercutientia applicabis; stupor, alienatio, asthma, inquietudo ante coctio- nis signa mortale.

C U R A T I O.

Tertiana continua.

*Curatio
absolvitur.*

1. *evacua-
tione.*

2. *venese-
ctione.*

3. *purga-
tione.*

4. *vomitu.*

5. *altera-
tione.*

6. *corrobo-
ratione.*

7. *Diureti-
cis & sudo-
riferis.*

SUMMA curationis est alteratio humoris sputrescibilis, & evacuatio putrescentis. Statim igitur clyster emolliens, & refrigerans injiciatur: dein seca venam, die qua primum remissio quædam febris sentiatur; educes etiam materiam morbificam blandis cholagogis.

Ex iis, quæ id præstant, vomitoria potissimum accommodata sunt, vomitorio oportune dato extincta sæpe visa fuit febris. infusum ex paucis granis croci metal- lor. in aq. endiv. & card. bened. paucio si libet vino addito blandissime vomitum ciet.

Post vacationem bilis alterantibus residua intemperies calida extinguenda est. Potiones igitur frigidae id præstabunt, maxime vero aqua frigida ad satietatem epota, si nihil repugnet, eamque æger, bene alioquin dispositus appetat. Observandum tamen, ne ulla materiæ eruptio critica impediatur, sed potius convenientibus auxiliis promoveatur. In statu vires debilitatas exquisito aliquo *restaurante* recreare ac reficere oportet.

Dabis etiam *diuretica*, ex decocto horde, rad. petros. fœnic. gram. & propinabis *sudorifera.*

dorifera. Hæc tamen non nisi universalibus præmissis maxime usui erunt.

PROGNOSTICA

Quotidiana.

EX Paschali. Longa satis est, sæpe diem 40. excedens, curatu difficilis, & cum periculo conjuncta (interdum ad sextum mensem ægro adest:) si victus ab initio statim sit debilis, & appetitus dejectus, lethale signum est, quia ad statum non poterit durare. Exacerbatio longa, virtus debilis; appetitus prostratus, somnus profundus, funestum: minus periculosa & longa, in qua plures evacuationes fiunt, minus etiam mala, quæ noctu exacerbatur; quia ventriculus debilitatur, hinc hepatis & lienis obstructions, ac tandem cachexia, & hydrops. Per abscessus sæpè judicatur, interdum lentè, & per vices singulis diebus criticis materiæ peccantis fit per alvi fluxum, urinam, vomitum aut sudorem evacuatio.

Ex Foresto. Urina si fuerit subtilis & pauca cum aliis signis malis mortem propinquam significat. Si vero ex subtili crassa & multa evadat in statu salutem denotat, urina ampullosa, turbulenta, confusa lethargum, aut carum minatur. His subito succurrendum ligaturis extremorum, frictionibus, balanis, clysteribus acutis. Si sedimentum fuerit crassum, febris erit diuturna, si quantitas urinæ major solito, & crassior,

fior, frigoris vero diminutio, caloris augmentum, accessionisque anticipatio, materiam fore concoctam arguunt, & febrem cito terminaturam.

CURATIO QUOTIDIANÆ.

*Curatio
absolvitur.*

*Premissio
preparan-
tibus.*

*1. Expur-
gatione per
vomitum,
alvum, u-
rinam, su-
dorem.*

*Non vene-
sectione.*

*2. Corro-
boratione
Vasium.*

*3. Sudori-
feris & di-
creticis.*

SECUS in hac febre, quam in aliis continu-
sis se res habet; etsi enim sit calida, tamen
ratione materiæ magis est frigidâ. Quia igitur
majus est periculum ex humoris peccan-
tis naturâ, quam ex calore ejus p. n. modice
calefaciendum, & siccandum. Pituita ve-
ro quia crassa, frigida, tenax, & lenta
preparanda est incidentibus & attenuanti-
bus, quæ tamen initio sint mitiora. Deinde
materia præparata & ad excretionem idonea
facta pharmacis expurganda, per vomitum, per
alvum, per urinam, per sudorem. Quod qui-
dem non unâ vice, & semel faciendum, sed
pluribus vicibus partiri evacuationem oportet,
preparando humorem, & subinde evacuan-
do. Venæsectio in hac febre locum non habet,
nisi ætus febrilis sit admodum vehemens,
His omnibus ritè peractis, ventriculi & he-
patis frigida intemperies, atque imbecillitas,
tam internis, quam externis auxiliis
emendanda est.

Majore materiæ parte evacuata, tandem
ad sudorifera, & urinam moventia proceden-
dum.

PROGNOSTICA.

Quartana.

Febri hæc rarissima est, sed satis periculosa, ob humoris in venis putrescentis naturam & copiam: Cum enim ægre putrescat, magnam causam esse necesse est, quæ hujusmodi vitium, & putredinem invexerit: Deinde: quia non facile cedit remediis, longa est, ad diem 40. ultra se protendens: æstiva tamen brevior est, quæ vero hyemem attingit, longissima, quia æstate vitiosi humores ambientis aëris calore per universum corpus diffusi minori negotio discutiuntur, spiraculis, & poris patentibus. Symptomata gavia, quæ ab iis, quæ rectè efferuntur, non mitescunt, sed subinde augentur, mortem portendunt.

CURATIO.

Quartana continua.

EX Paschali. Quoniam in hac febre materia peccans potestate frigida est, & ficca; frigiditas autem calore putredinis obrunditur, siccitas vero augetur, parcius calefacere, & attenuare, magis vero humectare oportet. Itaque præmissis clystere vena brachij sinistri tundenda est, dum vires adhuc constant, & nihil prohibeat. Hinc præparetur humor peccans primum mitioribus iis, quæ simul fervorem contemperant, & putre-

*Curatio
absolvitur.*

1. Venasectione.
2. Præparatione.

3. *Purgatione.*

5. *Sudoribus.*

6. *Lieni prospiciendo.*

& putredinem sistunt. Et quum signa coctionis adsunt blande *purgantia* ex usu erunt, alternatim humorem præparando, vires reficiendo & purgando. Quum jam inclinare febris videtur, *sudores* promoventia, & frictiones conveniunt, *Lieni*, si quod vitium remansit, ejus ratio habenda, sanguinis missione ex hæmorrhoidibus, appropriatis syrupsis, apozematis, foris inunctionibus, fomentationibus, emplastris & similibus. *Atque hæc de continuis febribus primariis, seu conclusis.*

Galen. 2. de cris. 7.

10. Avic. cen. 1. 4.

fen. 1. 4. c. cap. 13.

14. Symptomatica

febris causa hæret

1. Vel in parte inflammata.

C A P U T V I I I.

De febre symptomatica.

S*ymptomatica febris* omnis in continuarum est genere, neque ulla unquam visa est intermittens.

Hujus proxima materia *continensque causa* non in venis est majoribus, sed in parte aliquapiam, è qua aut putredinis quiddam, aut teter, putridusque vapor in cor obrepit.

Ejus quidem genera multa. Unum inflammationes sequitur, quod ipsum est multiplex. Quum enim, aut externa, aut distans est inflammatio, non nisi ephemera febris accenditur, quod solus calor partium continuatione in cor evadat. At si partium interiorum, maximeque principum, & cordi vicinarum, vel phlegmone, vel erysipelas est, sanguis, bilifve putrescens aut illinc in cor subit, aut tetrum, putremque de se vaporem in ipsum emittit,

emittit, è quo per arterias fuso putrida fit febris. Sic à phrenitide, ab angina, peripneumonia, phtisi, pleuritide, hepatitide, splenitide, & à nephritide febris fit phlegmonodes: ab erysipelate typhodes, eo quæque gravior, quo pars affecta nobilior, cordique vicinior fuerit.

Nonnunquam inflammatio, quæ febris hujus est origo, per initia quasi involuta latet, at febris ejus symptomatica admodum conspicua est: quæ hoc modo à continua primaria discernitur. Utraque acuta est, & putredinis notas exhibet, sed symptomatica nullis stasis periodis exacuitur: *urinæ* nullum putredinis indicium habent: nisi ex affecta sede putredo forsan obrepat in venas: si non statim initio, mox tamen inflammatae sedis indicia se proferent. Raro vel septimo, vel quartodecimo die, aliisve decretoriis iudicio solvitur. In primaria febre continua hisce contraria apparent omnia.

Alterum febris symptomaticæ genus multo obscurius est, eam febrem continens, quam *lentam* appellavi. Oritur non è visceris partisve cujusquam inflammatione, sed è *lente obstructione*, quæ visceri contumaciter adhærescit, impactaque est, adeo ut & ipsa visceris substantia plerumque labefactetur. Putredinis portio nonnunquam in venas effusa, sanguini permiscetur.

Hæc notas per se fert symptomaticæ ejus, quæ aut phlegmonodes, aut typhodes, appellatur. Distinguitur autem, quod omnium est putridarum mitissima: æger nullo gravi symptomate premitur: sæpe nec

L

fe

Et quomodo ea à primaria dignoscatur.

2. Vel in parte obstructa quæ lenta simplex est.

Hujus febris signa.

se ægrotare putat. Putredinis tamen notæ interdum elucet *in urinis*, *pulsus* frequens celer, & inæqualis, non tamen magnus, aut vehemens: vires imbecillæ, & languidæ collabuntur, ut ne progredi quidem æger possit. Corporis moles, etiamsi alimentum fumitur, sensim liquefcit. Diuturna etiam hæc febris est, quæ reliquarum continuarum terminos prætergreditur, nec vigesimo nec interdum quadragesimo *soluta*.

Loci affecti.

Hujus quum suspicio est, *fomes quærendus*, omnesque corporis partes animo, sensuque lustrandæ sunt, dum signis conspicuum sit, in quâ is parte consistat. Sæpe in ventriculo, aut in jecore, interdum in liene, aut mesenterio, nonnunquam in pulmonibus, cujusvis humoris semimala putredo cummulata hanc excitat. Sedulo igitur observanda sunt hypochondria & hypogastrium, num in his tumoris cujusdam sensus insit. Sæpe etiam vel in cachexia, vel in fœdis virginum coloribus, ferosæ pituitæ in corpus effusæ levis putredo illam protulit.

Et hæc quidem lenta simplex appellatur.

3. *Vel in parte corruptâ, quæ lenta periculosa est.*

Altera est *lenta periculosa*, quæ non solum ex impactu humoris, verum etiam ex *visceris*, cui insidet corruptione putredineque emergit. Jecoris, pulmonis cerebri ac lienis, interdum etiam renis, distantiorumque partium corruptela, simplexque putredo, tametsi nullo putri humore comitatur, quoniam tamen expiratione gravi cor affiduo laceffit, continuam febrem, non aliter quam putridus humor suscitatur: eamque

que symptomaticam, ac omnino lentam: hanc plerique rerum affinitate ducti, hecticam dixerunt.

Iisdem *nois se prodit* atque nunc exposita. *Hujus signa.*
 Internoscitur autem quod sensim editur, multoque tempore procedit: aliis fere morbis succedit: nihil vel minimum vacuatione mitescit, nullis cedit remediis, sed iis sæpe exasperatur: vires plurimum offendit, ac debilitat: leviq; occasione syncopen accersit: sensim ac plerumque sine sensu hominem extenuat, & marcore conficit.

Hoc genus est febris, quæ phthisin comitatur: hectica quippe non est, sed putrida ex putrescente pulmonum substantia: nec enim necesse est putridam omnem in humore constitui.

Hic omnis mihi concludenda videtur continuorum febrium tractatio.

CURATIO

Febris symptomatica ex inflammatione.

Febris ex inflammatione, ortu curatio absolvitur.

Curationem febrium symptomaticarum ex inflammatione, ad inflammationem dirigenda est, curata enim inflammatione, & ipsa febris curata est, & pleraque remedia quæ inflammationis causa adhibentur, ut *Venesectio*, & alviduca etiam febrem tollunt; febris tamen non plane negligatur, ideoque *alterantia*, & putredinem inhibentia, hic etiam exhibenda sunt, ita tamen illa moderanda, ne parti affectæ, & morbo proprio noceant.

*Venesectio-
ne alvi le-
nitione,
alteratione*

Sudore.

Si qua inflammatio, inquit *Deusignius*, externa fuerit *diaphoretica* adhibenda, tum ut inflammationis causa commodius exhalet, tum ne fermentum aliquod introrsum feratur, ac humoralem febrem excitet.

C U R A T I O

*Lente ab-
solvitur
purgatione
& venese-
ctione
Concoctione*

Lente simplicis.

Febri quæ orta est ex obstructione sensim *Faucta*, *purgatione*, & *venesectione* tollenda, semel aut bis in hebdomada repetatur *catharsis*: materia *concoquatur*, & viæ *preparentur*, calida medicamenta vitentur, victus non sit omnino refrigerans, si post adhibita remedia febris perseveret, ægerque exsiccetur, solâ convenienti victus ratione oppugnanda, remedium intermissione factâ.

C U R A T I O

*Ex hepatis
obstructione
aperientibus.*

Febris ex hepatis obstructione.

Si *hepar fuerit obstructum*, potus sit parvus, vinum aquosum, & tenue, victus sit frigidus, & humidus, cui adde *aperientia*, loco vini bibat tenuem cerevisiam, vescatur carne vitulina, pullis gallinaceis, columbinis elixis, non assis, gelatina &c.

Ex

Ex obstructione Lienis.

SI fit ex *Lienis* obstructione victus fit *Ex lienis*
 Sidem, qui quartanæ convenit, vinum fit *obstru-*
 tenue, & dilutum, *decoct. rad. aperitiv. ca-*
 venda calefacientia, danda *aperientia*, *at-*
tenuantia, semel aut bis in hebdomade *pur-*
gandum.

A squalore & siccitate.

SI fit à squalore, & siccitate, *refrigeran-*
sdum, & *humectandum*, cremor hordei, *à Squalore*
 juscul ex carn. decoct. cum refriger. usus *& siccitate*
 lactis afinini, syr. violac. cum aq. hordei.
 dorsum inungendum oleo violaceo, balneum
 aq. dulcis ex decoct. emollient. v. g. rad.
 althææ lilior, sem. lin. psyll. fol. malv.
 parietar. violar. &c. sæpe hoc repetendum,
 sed citra sudoris profusionem; *purgetur æger*
 si alvus fuerit adstricta, per cass. diacar-
 tham; & alia lenientia.

C U R A T I O

Ex partium corruptela orta.

SI fit ex partium corruptela, v. g. pul-
 sionis, eadem adhibenda, quæ in *Ex parti-*
 phthisi. *um corrup-*
ptela.

De Febribus Comitatis.

Febris comitata.

EX *Deusingio.* Quemadmodum affectus quosdam p. n. sæpe numero febres aliquæ sequuntur, quæ ideo symptomatice vocantur, ita & quandoque febris aliqua affectus alios præcedit, aut una cum aliis affectibus exoritur, eaque *comitata* appellatur. Hæc sæpe altcrius affectus, quem comitem habet, causâ existit, cum nempe natura portionem sanguinis, aut aliorum humorum, quantitate, vel qualitate sibi molestorum, ac per exortam febrem concitatorum, ad partes internas, externasve propellit, sicque in prima febris invasione, aut paulo post, inflammationem, (anginam scil. pleuritidem, peripneumoniam, erysipelas &c) aliosve tumores, exanthemata, ecthymata &c producit.

Hujus item generis febres sunt illæ, per quas natura irritata diarrhæas, dysenterias, catharros arthritides, vagos dolores, petechias, variolas, morbillos, aliaque similia mala excitat.

Causa.

Plerumque tamen una eademq; causa existit, & *febris comitata*, & *comitantium affectuum*, nempe concitatio, aut fermentatio materiæ morbificæ; ipsaque febris comitata plerumque simul atque comites affectus se plenius in actum exeruerint, remittere solet, aut plane cessare.

Signa.

Signa februm comitararum sunt, quod cum horrore, ac frigore invadant, idque plerumque aliquot horis antequam comites affectus

tus producantur. quodque hisce exurgentibus remittant, vel cessent: nisi forte ob dolores, & cruciatus comitantium affectuum nova febris excitetur, quæ tum symptomaticæ febris nomen meretur.

Si comitantibus in actum prorumpentibus febris remittatur, vel cesset *bonum est*; si illis evanescentibus intendatur febris, *malum.*

Curatio in primis ad causam communem, *Curatio ab* tum febris, tum comitantium affectuum, *solvitur,* dirigenda est: affectus autem ipsi, qui febrem comitantur, nequaquam illico cohibendi sunt, nisi quatenus forte novam febrem symptomaticam accendunt, ac graviora mala minantur (velut angina comitans, vel peripneumonia &c.)

Ubi *materia ad exteriora* vergit, naturæ motus nequaquam impediendus est; sed *Diaphoresis.* potius *diaphoreticis* eadem promovenda: in primis si in partibus solidis, ac corporis habitu fermentatio contingat (velut cum variolæ, vel morbilli proveniunt) ipsaque materia, quod sæpius accidit, malignitatis sit particeps. *Ubi cum febribus inflammationes* *Vel* oriuntur partium internarum, *Venasectio,* tum *ne.* *vacuationis,* tum revulsionis causâ administranda est. *Alvus subducenda lenientibus medicamentis,* quæ humores non agitent, *Leni purgatione.* *ca-* *loremve intendant.* *Frigida ad febrem ita refrigeratione.* *dirigenda,* ne subita repercussione inflammationes intendant. Singulorum autem comitantium affectuum peculiaris curatio è locis propriis petenda est.

De Intermittebantibus deinceps tradendum.

CAPUT. IX.

Non ut voluit.

Galen. 2. diff. febr.

1. Intermittentiam materiam in habitu corporis habet.

Intermittentiam febrium continentem, proximamque causam non esse in habitu corporis.

Vetus jam opinio increbuit, humorem qui continens, & proxima est intermittentis febris materia, in solo corporis habitu, & extra venas computrescere: hunc accessionis initio de venis majoribus, in quibus conditus erat sanguini permixtus, in minores, ex hisque in corporis habitum propelli. Hoc impetu summas corporis partes, quarum exquisitior est sensus, ferientis humoris occursum vel inhorrescere, vel rigere. Eum mox sensim illic in calescere, inflammari ac putrescere: tum demum, extenuatum caloris vi universum dissipari in sudores: sic accessionem finiri, dum nova similiter recurrat.

Hæc opinio, dum quadam verisimilitudine frigoris rigorisque causam reddere contendit, veram intermittentis febris originem obscurat.

1. Ratio.

Hoc in primis absurdum illa statuere videtur, omnes fere humores qui morborum causæ fiunt in venis contineri, illic primam omnium esse originem, quasi neque in visceribus, neque in mesenterio, neque in eo quod pancreas appellamus, eorum quicquam congeri possit aut computrescere.

2. Ratio.

Quod deinde illa existimat, primo accessionis insultu noxiam materiam prorsus de venis

venis in corporis habitum depelli, acerbum quidem auditu est. Quo pacto enim tam repente possit noxius humor sanguini permistus, præsertim vero crassa lentaque pituita, aut bilis atra è puriore sanguine prorsus secerni, & quasi momento in extimas corporis partes, in manum pedumque digitos & in nasum (quæ fere prima frigescent) protinus extrudi? Admirabilis sane nec usquam comperta tam expedita permistarum rerum secretio atque depulsio.

Adhæc quum in *continuis* febribus, peccans materia in vasis majoribus tota consistat, *3: Ratio.*
cur non ejus quoque portio in corporis molem effunditur, quæ sæpe rigorem efficiat?

Quoniam (inquit) *exilium venarum obstructio* in his quam in intermittentibus major est, atque tanta ut omnem humorem intus cohibeat. *Instantia.*

Sed hoc *diverticulum* est. Nam plurimæ *Salutio,*
 continuæ, aut horrore, aut à rigore primum invadunt: Quod si ipso statim earum initio bilis in corporis summa effundebatur, cur non deinceps quoties inardescit, aut motu novo excandescit, eodem similiter insilit? Licet igitur rigor causo superveniens eumque solvens excitetur à bile è venis in corporis molem effusa, non sic tamen qui vel continuæ vel intermittens initio fatigat.

Hoc autem rerum eventus luculenter *4. Ratio.*
 commonstrant. In horrore atque in rigore febrium intermittentium *urinae me juntur albæ,* tenues & crudæ, Quod aperto indicio est, bilem tum flavam, tum atram intro potius quam foras compelli. Tum temporis

L 5 molesta

molesta etiam est suffocatio, tussis plerumque sicca, oscitatio, anxietas, præcordiorum distentio, ac sæpe dolor vehemens; ab his nausea, & sub rigoris finem biliosa vomitio. Accessionis vero progressu, magis declinatione omnia mitescunt, & urinae evadunt crassæ, citrinæ aut rubræ, quæ argumento sunt, tum temporis bilem, ut in urinas, ita & in corporis summa contedere. Hisce vero contraria omnia obtingerent, si accessionis initio bilis in summa corporis irrueret.

5. Ratio. Sed & quod interdum toto febris intermittentis decursu *urinam* substantia, colore hypostasique *laudabilem* animadvertimus, nonne planum facit ejusce febris nullam putredinem in venis haberi?

6. Ratio. Jam vero in febrium differentias descendamus. Quum *levior* est exquisita *tertiana*, in qua non rigor, sed extremarum partium *frigus* (ut plerumque fit) solum percipitur, quomodo bilis flava in corporis molem effusa frigoris causa ponetur? Nunquid calida acrisque ea quum sit, corporis habitum refrigeret? Aut quum pars corporis, quæ vel natura, vel morbo imbecilla est, omnium prima ac sola invadente febre inhorrescit, tumne ea sola bilis acrimonia tentatur.

7. Ratio. Sed & aliis quid etiam contingat estimandum. *Quartana* continua omnium est febrium rarissima, quandoquidem (ut etiam *Avicennas* animadvertit) *melancholia* admodum raro peccat in vasis majoribus, rarius multo putrescat: *quartana* autem intermittens admodum *frequens*, ac sæpe popularis.

Jam

Iam si admodum raro melancholia vitiosa est in venis, quomodo ex his potest tam copiosa suffici, aut tam crebro in corporis habitum pelli, quæ tot gignendis intermittentibus quartanis sit satis,

At nunc obsecro opinio hæc rationem reddat *compositarum febrium*: & cur in tertiana duplici, bilis (quæ ejus una ipsis censetur antecedens materia in venis majoribus) portio quædam quotidie in omnem corporis habitum propellitur? Si copia id efficit, tertiana omnis vehemens, ut quæ ab exuperante bile fit, in tertianam duplicem, omnisque quartana ferocior in duplicem triplicemve quartanam faceffet. His quasi laqueis ita sese irretiunt opinionis hujus interpretes, ut se nunquam extricare possint.

Ad extremum curandi lex & ratio spectetur. Si antecedens febris intermittens materia tota in venis est majoribus, *una venæ sectio* quæ hanc prompte demit, illius *curatio* fit. Atqui neque hæc febrem tollit, neque qui in solos venarum humores mentem cogitationemque, refert, illius unquam curationem rectam consequetur. Ea quidem causæ ignoratio ita veritatem quasi tenebris offudit, ut nondum sit illius intermittens febris vera curatio percepta, solutioque sponte sæpius quam arte succedat.

Hæc quidem pauca (nam alia commentabuntur alii) non potui non in eam opinionem contorquere, quæ tam fraudulenta perniciosaque fuit humanæ saluti. Piget sane,

8. Ratio.

9. Ratio.

fane, atque etiam pudet, de *sententia tot an-
norum* authorumque numero & vetustate
confirmata decedere.

*Neque as-
seclavum
multitudo
turbare
nos debet.*

Sed quid eorum multitudo terrere debet,
qui *spreta investigatione veri*, unius imitatione
eadem omnes via in salebras inciderunt?
Levibus in rebus falsis interdum assentiri
aut connivere nihil fraudi est; at vero in se-
riis & gravibus, quæ tanti sunt ad homi-
num salutem momenti, in primis dolosum,
omninoque veritas in lucem fidenter profe-
renda.

Quod expono, & ratione, & quotidiano
rerum usu veritati consentaneum deprehen-
detur.

C A P. X.

*Quæ sit intermittentium febrium materia,
& quæ illi sedes in corpore.*

*Sed hæret
in præcor-
diis.*

QUÆ protuli, ut intermittentis febris ma-
teriam non è venis in corporis habitum
propelli, ita & hanc penitus immergi, &
circum præcordia adherescere, demonstrant:
eamque non esse venarum succum alendo
corpori destinatum, sed *humorem supervaca-
neum*, qui à jecoris sanguine prolectus in
propria conditur receptacula, antequam is
jecur transcendat.

*Estque hu-
mor excre-
mentitius.*

Itaque intermittens, tum materia, tum
materiæ situ ac foco, à continua secernitur.
Tertianæ materia bilis est flava, affinis ei
quæ *in fellis-cysti* conditur. Quartanæ bilis
atra in lienem refusa. Quotidianæ (si qua
vera

vera est) pituita mucosa & supervacanea, quæ in ventriculo intestinisque plurima colligitur. Omnium propria sedes & origo in prima est corporis regione circum præcordia, circum ventriculum, diaphragma, jecoris cava, lienem, pancreas, omentum ac mesenterium. Hæ siquidem partes sunt quasi publica corporis sentina, in quam omnis confluit cumulatque humorum coluvies.

Ex hisce autem sedibus februm horrores rigoresque suscitari, primum quidem docendum. Frigus, horror atque rigor intentione & remissione distant. Frigore summa corporis inalgescunt: horrore id universum leviter concutitur; etenim hic ceu diminutus rigor est: rigore usque eo contrenuiscit concutiturque, vix ut cohiberi possit. Omnium eadem similisque causa, caloris nempe, frigoris, rei pungentis, aut quovis pacto molestæ vehemens incurfio in corporis sentientes partes confertim facta. Distantque solum inter se aut ubertate causæ, aut vehementiâ seu acrimoniâ, aut motionis impetu. Ut enim aëris aut aquæ frigidioris occur u corpus frigescit, ita & interdum horret, atque etiam riget.

Præcordia autem, & partes omnes quæ circum hæc sunt, quia membranis sepiuntur, nervosque sentientes suscipiunt è sextâ cerebri conjugatione, eximio tangendi sensu sunt præditæ. Magna etiam societate tum principibus, tum externis corporis partibus connexæ sunt, iisque adeo consentiunt, ut affectæ mox principes partes universumque

*Ejus sedem
probant rigores.*

*Qui ex his
locis susci-
tantur.*

que corpus in consensum trahant. Sic enim vinum meracius liberaliusque sumptum tamen è ventriculo nondum elapsum est, mox tamen exulceratæ vesicæ, aut vulnerati cruris, aut arthritidis dolorem exasperat. Sic & frigidæ potus liberalior corpus universum frigore horroreque concutit. Bilem vomiturus rigescit; multoque magis qui alienum vitiosumque cibum, velut fungos, sumpsit. Rigescit & cui calidum mordaxque medicamentum venter præcordiaque ferit, non minus quam si nudam cutem, aut ulcus acrius compungat. Horrescit demum & cui pus interiõre abscessu collectum irrupit in membranas.

Excrementum humorum esse causam,

At certè *bilis putrescens* in febre acrem malignamque qualitatem adipiscitur: eaque accessionis initio quasi turgens impetu fertur, affatimque irruit in præcordiorum membranas, iis sane *argumentis*, quæ de tussi sicca, de oscitatione, de suffocatione, de anxietate, de præcordiorum distentione ac dolore, de nausæ, de vomitu, & de albis tenuibusque urinis protuli. Quanto magis igitur, quam superiores causæ, ea tum potest horrorem rigoremque concitare.

Probant vomitus,

Citrina porro illa & prassina cæruleave bilis, quæ sincera sæpe *vomitione* prorumpit, propria intermittentis febris materia hinc esse dignoscitur, quod dum tota liberaliter redditur, febrem omnem penitus extirpat atque *solvit*. Ea sane nunquam tam sincera possit è venis amandari citra exitium, sed duntaxat è præcordiis, quæ illius sedes sunt.

Hoc

Hoc quoque vel inde constat, quod, si *Fotus*,
 accessionis initio humidi *fotus* apte calentes
 præcordiis imponantur, maxime vero lieni
 in quartana, jecori in tertiana, aut alij
 cuicunque sedi fomes inesse deprehendetur,
 horrorem *rigoremve* leniant, quia nimirum
 ipsum mali fontem demulceant.

Iam vero *sudores* non è solo corporis ha-
 bitu, sed & interdum è *præcordiis moveri*,
 hinc sciri potest, quod qui vel exercitatio-
 ne, vel Solis ardore exæstuat, si frigidam
 liberalius bibat, mox totus sudore diffluit,
 non mehercule aqua in corpus disjecta at-
 que fusa, (diu enim postea sentitur huc &
 illuc fluctuare in ventre) sed ejus halitu ab
 æstuantibus præcordiis in omne corpus effu-
 so, qui demum in sudorem concrefcit.

Sed & illud præterea observari velim,
 cui jecur aut lien ætate morbove inaruit,
 vel magnâ obstructione vel scirrho obduru-
 it, ut in hydrope, in ictero, aut in cachexia,
 nulla vi eam posse ne per febres quidem in
 sudores induci, etiamsi reliquum corpus
 humore multo profundatur: eum vero cui
 jecur aut lien calore humoreque naturali
 abundant, quavis ex causa sudore diffluere.
 Hinc igitur conspicuum esse potest, pri-
 mam sudorum scaturiginem è præcordiis
 esse.

Discussa igitur illa velut caligine, ut ve-
 ritas clarius aliquanto dilucescat, *rem hanc*
omnem sic in summam concludemus.

Calidus ac putris humor extra venas *Probat ro-*
 quavis in sede conditus, quamdiu con-
 quiescit, corpus raro exagitat: at vero *tus febris*
paroxys-
dum mus: cuius

Sudores è
præcordiis
orti.

*ratio me-
lius hinc
reddi po-
est.*

dum quasi efferatus illinc præter naturam impetu dimovetur id varie concutit affligitque. Si paucus est, ut in levioribus tertianis, aut ejus parva acrimonia, ut pituitæ putrescentis, motusve lentus ac languidus, solum frigus invehit, calore quidem ac spiritu ab externis partibus intro quasi in opem & subsidium advocatis. Sin copiosior est aut acrior aut ejus motus impulsusve concitator, *horror* invadit. Quum vero plurimus, isque vehementer acer & mordax, magno impetu in præcordia excussus, *rigor* verus inducitur. Hæc præterea rigoris febrisque materia circum præcordia hærens ex se tanquam è fomite tetrum malumque vaporem in omne corpus effundit, qui & altera rigoris, horroris, rigorisve causa esse potest. Hinc febris intermittens accessio ea fenerationeprehendit, quâ censuit Hippocrates ex inguinis abscessu putridam febrem accendi, si non solum calor, sed & fumus vaporque putridus minime coercitus, partium continuatione ad cor pervenerit. Itaque concitato & quasi turgente putrido humore, ab ejus emissa portione ac vapore membranæ feriuntur, horrorque vel rigor invadit.

Tum etiam vapor teter ex eo fomite excitatus, in cor primum per cœcos ductus effertur, atque illinc quoque versum per arterias effusus, omne corpus implet. Atque hic initio cor offendens *pulsus contrahit* & obscurat, cerebrumque implens degravat consopitque, omnes denique *artus velut obiundit*. Postea vero in corpus quasi
aura

aura quædam disjectus, sensim incalescit & inflammatur, ac tum febris ardorem ejusque symptomata movet. Tandem supra modum extenuatus, tum impetu proprio tum impellente natura dissolvitur, interdum manifeste in sudores, interdum obscure sensimque per cutem.

Atque hæc quidem pura simplex intermittentis species existit: in qua *urinae* plerumque, toto morbi decursu, calore, substantia sedimentoque *laudabiles* apparent, quia nimirum nihil bilis peccantis è præcordiis irrumpit in venas: plerumque vero tales cernuntur primis accessionibus intermittentium. Nonnunquam vero invasionis impetu, humoris vehementius impulsus una portio insilit in ventriculum, quæ biliosam vomitionem movet, eamque fere sub rigoris horridi finem: altera portio tenuior eo ipso impetu ex eodem foco per jecur venasque majores in omne corpus irrumpit: tumque *gravior est accessio*, sub cujus finem *urinae crassæ* redduntur atque flavæ, iis longe dissimiles quæ paulo ante accessionem fuerant. Atque multo quidem gravior evadit accessio, quum ex eo ipso foco portio major penetrat in venas, sed & nonnunquam *accessione soluta* febrilis quædam manet inæqualitas nec pura sequitur intermissio: quod in primis conspicuum est in hæmitritæo, de qua mox dicam.

Intermittentium porro febrium focum *Probat* atque fomitem, de quo disputo præter *exemplis* rationes, quas ante protuli, velim & *exemplo confirmare*. Vir quidam ingenuus, ætate

M

florente

florente epulans liberaliter, quotidiana vomitioni biliosa jamdudum fuerat obnoxius. Hac repente suppressa, ventriculi vehemens dolorprehendit, cum nausea & tussi inani. Hinc mox cœpit corpus citra febrem ullam vehementi rigore, tanquam invadente exquisita tertiana, ex intervallis quotidie supra vicies conceuti. Exactis diebus circiter quindecim, putrescente jam bile, tertiana febre corripitur: qua multis post diebus soluta, resolutio insequitur omnium partium quæ sunt sub capite, nec multo post interitus. Corpore dissecto, tam multorum affectuum causam deprehendimus, bilem synceram eamque prassinam circum jecoris cava libræ pondo membranæ coercitam, & cujus jam portio in spinæ nervos obreperat. Non paucos dein non admodum dissimiliter affici notavimus: quorum exemplo intelligi potest, rigorem modo sine febre, modo cum febre interdum ex præcordiis suscitari: intermittentis quoque febris fomitem in iisdem locis contineri.

Probat dolor colicus, qui febres consequitur.

Id ex his quoque conficitur, quæ sæpe fieri observamus tertianam diurnam atque quartanam in atrocem *cruciatum colico immuniorem* desinere, qui nonnunquam & in artuum dolores & in paralyfin facessit. Hic dolor sine febre est, fere ramen consueto accessionis tempore exacuitur & exandescit, pristinumque circuitum retinet. Vix, nisi bilis vacuatione, mitescit, quam constat, ut doloris ita & febris, causam fuisse: depellitur enim è præcordiis & visceribus

in peritonæi intestinorumve membranas, eo argumento, quod & febris & fitis & inappetentia mitescunt suborto dolore. Itaque ut doloris circa peritonæum & intestina, ita & intermittentis febris sedes est circa viscera & præcordia.

CAPUT XI.

Quæ circuituum causa sit, & quid eorum ordinem formamque mutet.

Quid humorum motus efficiat, & cur putrescens pituita quotidie, bilis tertio, melancholia quarto quoque die impetum faciat, disputatio est plena dissensionis & omnino controversa.

Multi quidem demonstratione confecerunt, morbos omnes qui ex defluxione fiunt, intermissionem habere, ac dein recurrere, quoties adeo aucta & collecta sunt excrementa, ut partem ad excretionem stimulent: tum siquidem validior in imbecillam ea quasi onus excutiens deponit. Hinc quidam interpretantur, pituitæ satis quotidie, bilis flavæ non nisi tertio, & melancholiæ non nisi quarto die satis cumulari posse, ut naturam proritet circuitumque moveat.

Cæterum hi nusquam periodi causam attigerunt, nec cur pituita, etiamsi pauca putrescat, quotidie tamen moveatur impetumque habet, nec cur bilis flava uno loco si copiosior sit, non frequentius quam tertio die, nec melancholia frequentius quam quarto efferatur. Quid quæso vetat, con-

M 2

currenti-

Gal. 2. de diff. febr. cap. 11.

2. de Crisibus c. 5.

Circuituum certorum causam.

quidam volunt collectionem excrementorum esse.

quod resistatur.

currentibus causis omnibus illis efficientibus, tam multam flavam bilem atramve quotidie cupulari, ut naturam quotidie stimulet circuitumque moveat.

*Sed est
qualitas
peculiaris
humoris,*

Non igitur sola excrementi copia, sed alia quædam vis major necessario unumquemque humorem ordine certa que regulâ ciet ac impellit. Hæc autem propria est *contractæ putredinis qualitatisve natura* atque conditio, quæ omnem corporis statum naturalem immutat. Ut epilepsiæ insultus, aut hydrophobiæ impetus, non humoris genus, sed qualitatis natura in humore sita excitat: & menstruam mulieri purgationem statis periodis movet non sanguinis exuperantia (nam sive paucus sive multus est in muliere, mensibus tamen singulis nisi quid naturæ ordinem interpellat, erumpit) sed vis ortæ qualitatis in humore genita efficit, ut putrescens pituita quotidie, bilis flava tertio, atra quarto die impetum faciat.

*Putredine
contracta.*

Humor autem supervacaneus plenior cummulatus, quia vix naturæ beneficio & calore regi potest, corrumpitur & quodammodo *putrescit*: ac tum qualitatem eam adipiscitur, quæ hunc illumve motum impetumque habet. Atque ut sua est cujusque humoris species, ita & sua cujusque putredo vel qualitas, suus cujusque motus. Aliam igitur qualitatem aliumque motum pituita, alium bilis flava, alium melancholiæ putredine contrahit.

*Quomodo
ei status
conducitur
faciat.*

Hac autem ratione accessio ordine recurrit. Quum febris in vasura est, humor in suo quasi loco coercitus concitatur, & quasi turbescens

gescens excandescit, ipsoque impetu & multum de se tetrum vaporum quoquoversum in corpus omne diffundit, & interdum exiguam sui portionem eructat excutitque in præcordia, in ventriculum, nonnunquam & per jecur in majores venas: eaque manet accessio, dum sedetur impetus, & dum quicquid è foco excussum est, calore crematuna dissipetur, aut in sudores abeat. Hinc succedit intermissio eousque cessans, dum alio humoris motu & novo quasi furore alia recurrat accessio.

Recurrerit autem stas ut dixi periodis, *Vnde paroxysmi.* nisi quiddam ordinem interpellet. Multa febres ordinem tenere prohibent, efficiuntque ut *paroxysmi*; vel *anticipient*, vel *cunctentur*.

Anticipant præter consuetudinem, vel *Anticipent.* quum subjecta illorum materia augescit, ut ex impuro vitiosoque cibo extenuatur, ut sinapis & aromatum aliorumve calidorum tenuantiumque usu, vel quum motu exagittatur, ut exercitatione, balneis, æstu, animi excandescencia.

Cunctantur vero, dum contrariis ex causis *Cunctentur,* materia, vel minuitur, vel crassescit, vel pigrior ignaviorque redditur.

Quoties vero tanta circuituum mutatio *Errant,* apparebit, ut *nullo ordine procedant*, humor aut in alterius naturam commigrat, aut alterius generis permixtione confunditur.

Accessiones porro *longæ* evadunt, quum humor effusus ejusque vapor multus, crassus & viscosus est: hic enim non nisi multo tempore inflammari absumiye potest: &

quum meatuum est adstrictio, aut virium imbecillitas: hæc siquidem dissolutionem prohibent.

Aut breves sint.

Brevitatis vero causæ sunt, humor paucus ac tenuis, viarum amplitudo, viriumque robur.

Fern. m. cur. febr. c. 8.

Februum intermittentium causæ & judicia.

Gal. 2. de diff. feb. cap. 3. Aetius lib. 5. cap. 20.

Et seq: Avenenna lib. 8 f. 2. 1. 1.

Cura intermittenti-um nova invenienda est.

Quomodo ea deprebendantur.

PUtridarum februum curationem, non apud Veteres modo, sed & apud *juniores* plerosque *incipitem* parumque tutam effecit causarum & affectarum partium ignoratio. Neque enim humorum qui peccant recta est habita internotio, neque locorum in quibus illi computrescunt. Etenim bilem, verbi gratia, unam eandemque male statuunt tertianæ intermittentis, & continuæ, atque etiam causi materiam, illique sedem perpetuam designant. Quocirca, posthabitis eorum sententiis, traditas olim per demonstrationem hac de re hypotheses secuti, eorum curationem trademus, non contemplatione solum, verumetiam usu longo & observatione comprobatum, idque veritate magis, quam aliorum testimonio & auctoritate ductus.

Si quem *horror aut rigor* adoritur, qui ab extremarum partium refrigeratione sensim auctus corpus vehementer concutiat: hunc deinde calor acer atque siccus cum pulsu celeri, crebro, & inæquali excipiat, qui summo accessionis vigore in sitim exhaustam, capitisque dolorem pungentem, & æstuantem cordis

cordis dolorem, atque irrequietam corporis totius jactationem deducat, nec supra horas duodecim productus, copioso eoque calido & acri sudore solutus integre solvatur ac desinat, ut in intermissione nihil quicquam symptomatum supersit, exquisita tertiana expectari potest: si præsertim laborantis natura & ætas, anni tempus, cœlique status in id conspirent. Hanc vero proximus circuitus, sive status sit, sive anticipet, sive cunctetur, confirmabit.

Proxima continensque ejus causa bilis est supervacua, citrina quidem, aut etiam præsina, eaque syncerior, nec frigido humore permixta, non exuperans modo vel nimium exæstuans, verumetiam putrescens, idque aut in propria cysti, aut circum cava jecoris, aut in pancreate, aut in vicinis sedibus. In iis quidem ea neque concrevit, neque impacta ulli parti tenacius adhærescit, ut tumorem ullum pariat in visceribus, sed tenuis libere diffluit. Quocirca nisi obstructione coercita fuerit, accessionis impetu excuti solet, aut prorumpere vomitione, dejectione, mictione & sudore.

Hinc tertiana exquisita brevis existit, nec ultra septimum circuitum producit. Tanta autem brevior est, quo aut parciore materia subest, aut expeditior ejus eruptio: quibus vero non ita sensim per circuitus ea prorumpit, plenior sub finem, & in ipsa totius declinatione quasi decretoria vacuatio expectanda est, quæ omnino tutam illius solutionem facit. Accessiones ab ortu invalescunt ad quartam, quæ tum longitudine,

Quam causam sum?

Gal. 2. de Crif. c. 3.

Quem motum habent.

tum magnitudine & acrimonia omnium esse solet vehementissima : quæ deinceps sunt, inclinant ad septimam : si qua citius mitescit, ante septimam solvitur, si tardius, longius excurrit. Itaque accessione quarta status est & summus morbi vigor, reliquo deinceps tempore declinatio.

Quam solutionem.

Vrina qua concoctionis exhibit indicia?

Hæc raro repentina *crisi* ut continua, sæpius lentè solvitur.

Vrina interdum toto progressu pura, & cum sedimento deprehenditur, quum scilicet bilis non admodum profilit in venas: quum autem eo fertur, summe turbida est, accessione quarta, exinde vero inclarescit, sedimentumque deponit: tum enim minus bile perfunditur, minusque sunt impeditæ functiones nativi caloris. Itaque *concoctionis indicia* non in incremento, aut in statu intermittentium febrium, quemadmodum continuarum, sed ferè in declinatione visuntur, cum peccantis materiæ pars magna jam est exhausta. Neque tamen ea noxiæ materiæ sed cibi cocti indicia sunt: neque præterea bilis supervacua, quæ putrescens intermittentium est materia, concoctionem similiter admittit atque putredo, quæ in majoribus conclusa venis continuam febrem profert

Curatio respicit

causam antecedentem continentem.

CURATIO

Febrium intermittentium generalis.

EX *Deusingio*. Curatio in primis dirigenda ad *causam* eamque tum *antecedentem*, nimirum saburram vitiosorum circa præcordia,

dia, seu in primâ corporis regione, humorum: tum continentem, nempe fermentale inquinamentum, quod Gal. 2. De febr. c. ult; εν πρῶτῳ τῶν μερῶν, putredinalis superfluitas dicitur, quod identidem è suo foco resurgit, viscera vero, è quibus fermenti materia suppullulat, ac coacervatur, interea corroboranda sunt.

ad viscerum
corroboracionem
antecedens

Quod antecedentem causam attinet, ea quidem, præmissâ corporis, ac humorum præparatione, per purgantia aut vomitoria evacuanda est: videndum autem quo natura vergat. Ac ut temporis habeatur ratio, nauseabundo quidem, atque ad vomitum prono, ante febris accessionem propinare licet vomitorium mediocre. communiter tamen videndum, ut ante ipsammet invasionem operatio sit absoluta: Adeoque satius plerumque est, diebus intermissionis exhibere ea quæ vel sursum, vel deorsum purgant, ac ipsamet evacuatio instituenda vel validioribus, vel mitioribus medicamentis, prout id causæ pertinacia, ac morbus iste ipsiusque ægri tolerantia ac naturæ robur exigunt, vel patiuntur. Ac ubi pertinaciores febres existunt, iteranda sæpius sunt præparantia, purgantiaque; sensimque, si id vires ferant, procedendum est ad efficaciora.

Præparantia quidem temperata calida simto potius, leniterque attenuantia, & exurgunt. Atque hinc Gal. 3. de simpl. med. facul. 10. summopere commendat Chamæmelum, ceu omnium febrium remedium, quæ citra viscerum inflammationem infestant, in pri-

Purgatur. misbiliosarum. *Purgantia* diversa sunt exhibenda pro diversa materiae in febribus diversis conditione, ac natura. *Vomitoria blandiora* parari possunt, ex oxymel. in quo rad. raphansem. aneth. atriplicis, flor. genistae, aut parum insuper agarici ebullierint, vel macerata sint. *Validiora* ex foliis ac rad. asari, sale vitrioli, croco metallorum &c.

Vena sectione. Præterea, ne inquinetur nimium sanguinis massa, nimiumve effervescat, leveturque onere majore natura, in primis si plethonica fuerit corporis constitutio, *vena secanda* est, ac sanguis mittendus.

Continens sudoriferi discutienda. *Continens* causa, post præparationes, evacuationesque causæ antecedentis, per *sudoriferam*, in primis in declinatione tum universali, tum particulari, discutienda, atque dispellenda est: Eademque, ne exurgat in actum, ante ipsam etiam invasionem qua parte jam præsto est dissipanda, vel cohibenda, seu fermentali sua qualitate exuenda est. Sed nec *diuretica* pro causæ continentis evacuatione negligenda.

Et diureticis educenda. Quo ergo obviam paroxysmo eatur, convenit (præmissis præmittendis) bihorio, vel trihorio ante paroxysmum, cum nempe fermentum agitari incipiet, ac naturæ conatus in id ipsum intendet, exhiberi *sudorifera* diascord. mithrid. lap. bezoar; in stratisque corpori tegumentis diaphoresin promoveri. Addenda item prædictis, aut seorsim exhibenda *febrisfuga specifica*, quæ fermentalem qualitatem coërceant, vel emendent, aut fermentum ipsum quasi absorbeant, vel præci-

præcipitent, seu subsidere faciant, qualia sunt C. C. præp. Oculi cancri præp. pellicula interiores stomachi gallinæ pulveris. cochlear. testæ ustæ, ac in pulverem redactæ, conchæ margaritifera (quæ perlarum matres dicuntur) calcinata &c.

Huc item opiata, ac narcotica referimus, quibus tamen circumspicte utendum est. Conveniunt item instante paroxysmo exercitia corporis, nempe cursitationes vehementiores.

Carpis item, ac temporibus, vel juxta maleolos, arteriarum regioni applicari *propolis*, seu febrifuga peculiaris, hæud præter rationem censemus, quibus nempe fermentalis qualitas extinguitur, ac coërceatur, aut vesiculis excitatis ad exteriora eliciatur, & absumatur (veluti naturam ipsammet videmus quandoque circa nates, ac labia pustulas, atque ulcuscula excitare, quibus apparentibus, ceu exspirante fermento, minuitur febris, ac denique cessat) commendatur autem unguen, populeon. cum tela araneorum, panis communis cum thure & aceto, itemque ruta, calendula, cæpæ, urtica &c.

Quandoque eibi nonnulli vehementer expetiti & largius assumpti fermentum coërcent, febremque extingunt. Verum talia artis non sunt, sed casui potius aut fortunæ adscribenda, adeoque non temere à Medicis prudentibus vel præscribenda, vel admittenda. *Characteres* vero, aliaque superstitiosa, omnino rejicimus, non raro interrim credulitas ipsa, seu præconcepta opinio, vel

vel fiducia, aut firma apprehensio, pro medicina esse potest.

Victus ratio similiter ut in continuis periodicis ordinanda est. Hic autem tanto plenior esto de ratione morbi jam invalescente, quanto morbus est futurus longior. Semperque attendendum in *cibo exhibendo*, ut concoctio ante invasionem queat esse absoluta: in ipso paroxysmo penitus (nisi vires aliud exigant) à cibo, ac potu, ad nutritionem ordinato, abstinendum est, ut & initio accessionum potus nullus admittendus [quem tamen superius admittendum probavimus] *vini usus* intermissionis tempore in longis febribus, ac in declinatione morbi, præsertim in assuetis, nequaquam prohibendus est. In pertinacioribus febribus, ac ubi est viscidior, vel crassior materia, convenit accessionis die toto ab omni cibo abstinere; indulgendum quandoque exercitiis corporis moderatis frequentioribus. Ubi sudorifera, vel specialia febrifuga sunt ante paroxysmum exhibita, à somno ægri initio accessionis nequaquam arcendi sunt.

CAPUT. XII.

De Quotidiana febre.

Gal. 2. de
diff. feb.
cap. 1. 4.
1. ad Glau-
cum cap. 7.
quotidiana
que.

Febris unaquæque intermittens à circuitus motusque ordine nomen habet. Hinc QUOTIDIANA, quod quotidie typo simili redeat, amphemerina dicitur. Omnium quidem febrium rarissima, & quæ vix ex sexcentis

sexcentis una obtingit: sed quum laborans quotidie febre conflictatur, id fere à duplici tertiana fit.

Ut autem paria statuerentur febrium atque humorum genera, hanc in *pituita* collocarunt: quæ tamen rarissime putrescit, vixque eam putredine qualitatem consequitur, quæ febris essentiam compleat.

Quum autem supervacua pituita (cujus *Ejus causa* cunque ea generis fit) vel in intestinis, vel *la.* in mesenterio, vel circum ventriculum viscerumque cava coercita putrescit, febrilemque qualitatem nanciscitur, quotidie mota conditionis suæ vaporem effundit, continentem accessionis causam.

Accidit hæc, quibus pituitæ copia inest, *Qui quoti-* natura vel ætate humidis, obesis, mulieri- *diana op-* bus, eunuchis, senibus, & iis qui vel otio, *portuni.* vel somno longiore, vel crebris balneis, vel frigidioribus humidioribusque cibis, vel assidua crapula, vel edacitate ut pueri, vel ebrietate, cruditatis ac pituitæ copiam congesserunt: maxime vero hyeme, frigidis regionibus, & pluvioso cœlo.

His fere facies sublivida & subtumida est, *Signa.* os ventriculi imbecillum, dejecta appetentia, acidusque ructus frequens. Accessio autem non repente, sed sensim invadit, corporis extrema duntaxat refrigerans, raro admodum rigore concutiens: corporis adest gravitas, & inexpugnabilis dormiendi necessitas: plerumque & hoc initio animus vel defectuone, vel syncope languescit. *Calor* dein pedetentim & ægre augetur, magna certe inæqualitate, qua modo calor, modo frigus

frigus percipitur. Accensus dein calor, non acer, sed hebes & halituosus tangenti primum occurrit, quasi ex succensis viridibus lignis vapor sublatus, postea vero aliquantum mordax & acer. Quum in omnecorpus jam effusus est, nullum vehemens incendium corpus nudare cogit, nec ardoris compunctio id varie jactare, nec spirandi difficultas multum frigidumque aërem ducere, nec sitis vehemens aquam frigidam exposcere. Inclinans accessio primis diebus nullum, postea vero paucum sudorem effundit, qui pro vaporis specie pinguis viscosusque est. Tota accessio horarum est octodecim, intermissio sex, quæ raro integra puraque existit. *pulsus* parvus, languidus, summissus ac rarus, præsertim accessionis initio & incremento, quod nativus calor, frigidi, crassi viscosique humoris agitatione vehementer præmatur: postea vero creber evadit, sed minus quam in tertiana atque quartana, æque tamen velox atque in quartana: hujus inæqualitas omni accessionis tempore quam in cæteris intermittentibus major. *Urina* primis diebus tenuis & alba cernitur ex crudæ materiæ copia, quæ & vehementer obstruit & nativum calorem obterit: postea vero quum materia coquitur, ejusque nonnihil cum urina præterfluit, rubra, crassa, turbidaque redditur. Alvi dejectio liquida, cruda, pituitosa. His igitur prima sæpe accessione quotidiana febris dignoscitur, quum præsertim quotidianæ peculiari-ter vigent.

*Galēn. 2.
Diff. febr.*

In hoc pituitosarum febrium genus refertur solet

solet **EPIALA FEBRIS**; per hanc quavis *c. 6. 9. 10*
 corporis particula eodem tempore calor, frigusque *Epiala fe-*
 percipitur, & unaquæque corporis pars ri- *bris qua?*
 gore, febreque jactatur.

Hujus causa putatur acida vitreaque pitui- *Ejus causa*
 ta, leviter putrescens, & cujus portio in-
 censa jam est, altera vero necdum putredi-
 nem experitur.

Eos autem, qui in dignotionem febrium
 diligentius incumbunt, hoc in primis loco
 moneri velim, & continuis (quæ biduum,
 triduumve quandoque occupant) & inter-
 mittentes omnis generis varie admodum in-
 vadere. Sæpe quidem in horrore, atque ri-
 gore tum interiora, tum externa summe frig-
 ent. At nonnunquam interiora frigore per-
 horrescunt, aut rigent, quum tamen par-
 tibus externis non frigus, sed calor unus,
 æquabilisque deprehenditur. Nonnunquam
 partes summæ externæque frigent, inte-
 riores vero uruntur, ac sitiunt, potuque in
 horrore continenter exoptulant. Tantum
 autem varietatis causa, non ad vitream,
 acidamve pituitam revocanda est, sed eo
 sane, quod impulsæ febris materia, dum
 præcordia feriens horrorem parit, partium
 externarum calorem alias revocat intro,
 alias non revocat: alias quoquo horroris
 materia acri salsave non parvam sitim in-
 fert.

*Hæc febris
 diligenter
 à rigore a-
 liarum fe-
 brium di-
 stinguenda*

P R O G N O S T I C A

Prognostica.

EX *Paschali*. Quotidiana non omnino turba est, propter diurnitatem, qua vires, & facultates plurimum debilitantur. Non plane etiam periculosa, ob humoris peccantis benignitatem, quæ nulla infert symptomata sæva. *Exquisita* diurnior est, duratque ad dies 40, 60, & amplius. Minus longa & periculosa est, in qua sudor citius apparet, concoctione tamen præcedente, aut initio accessionis vomitus, in fine sudor: hoc enim humoris tenuitatem, raram corporis texturam & caloris nativi robur significat, contrarium sequitur si natura nihil ejiciat, quia nihil, aut minimum sine naturæ subsidio medicina potest. Itaque si vires, & appetitus valde prosternantur, & accessiones sint longæ cum nullo sudore alleviante, exigua spes salutis superest. Cæterum diurna majus periculum invenit, propter medendi denegatam oportunitatem. Cum enim in paroxysmo naturæ negocium facessere medicamentis non liceat, tempus, quod quieti dandum erat, medicationi tribuere necesse est: ac quiete interrupta vires citius, & magis atteruntur: vel si quies permittenda est, medicationem intermittere oportet.

Ex Foresto. Si diu durat, in hecticam mutatur, si æger progressu temporis somnolentior evadat, ac gravitatem quandam circa caput senserit, cum oscitatione, stupore, & faciei livore, ac tumore, lethargum exspectabis.

Et abis. Sæpius transit in erraticam, & ex hac in quartanam: si est ex pituita vitrea, est valde longa, & difficulter sanabilis, & si dolor stomachi accedit, ut plurimum mortem adfert. Si paroxysmi à principio anticipent, brevioresque fiant, brevior erit morbus: contra si retardentur, vel in eodem statu permaneant. Si paroxysmi anticipent est augmentum, si postponantur, & evacuatio præcessit copiosior, erit declinatio, sin autem æqualiter procedant, & signa coctionis non appareant, & accidentia maligniora crescant, status adest, & æger periclitatur, sed si antea apparuerint signa coctionis, & virtus sit fortis, minus timendum: si sæpius contigerint sternutationes post statum, bonum signum, nam virtutem expulsiuam fortem denotat: si quotidiana laborantes in declinatione patiantur inflationem pedum, ne mireris, modo alia bona signa adsint, tunc à nimio cibo, & potu abstinendum, & æger tuus sudet. Quæ fit ex pituita dulci reliquis tutior est, ex pituita vero salsa periculiosior, & quæ ex acida facile in quartanam, ob similitudinem phlegmatis acetosi cum humore melancholico transit.

CURATIO

Indicatio à morbo contraria est indicatio- *Carallo*
 Ini à causa morbi, morbus enim refrige- *absoluitur;*
 rantia indicat, causa morbi calefacientia.
 Itaque quæ febrem extinguere apta sunt,
 causam augent, quæ vero causam tollunt,
 N *augent*

augent febrem sed utriusque ea ratio habenda est, quæ morbo quam minime consentiat: quod quidem in hac febre factum difficile non est: quia calor febrilis non magno pere infestat adeo ut ab eo nihil sit metuendum, quamvis medicamenta eum quodammodo augeant.

*Præmissis
clystere,*

1. *Alteratione,*

2. *Evacuatione
per vomitum,*

3. *Corroboratione.*

4. *Diuretici, &*

5. *Sudoriferis,*

Primo igitur expurgatis primis viis, humor ille crassus, lentus, & vias omnes obstruens, & functiones, seu facultates sua frigiditate debilitans, *incidi, & attenuari* debet.

Hinc *educere* eum sensim, & blande oportet per vomitum, & per alvum. Sed quia vires continuum horum medicamentorum usum ferre requeunt, tempus aliquod interponendum est, quo natura vires acquirat, & sese recolligat, & tunc confectiones *cordiales*, & viscera *roborantes* exhibendæ sunt, potissimum vero ventriculum, qui magis afficitur, & cujus in alimento conficiendo prima est necessitas: *Deinde* rursus attenuantia, incidentia, & detergentia repetenda, postmodum evacuantia, eandemque telam sic texere oportet, donec corporis eo acervo solutum videatur. Interim si qua est partis offensio, ei occurrendum convenientibus auxiliis, ne ex uno morbo alius oriatur. Reliquiæ humoris quaquaversum diffusi commode per ea, quæ *urinam, & sudorem* cient, pellantur, ex quibus mitiora primum usurpanda, Decoctum *sassafras* in hac febre primas tenet.

CURA

C U R A T I O

*Epialæ.**Curatio
Epialæi*

EJus curatio à curatione aliarum febrium pituitosarum non est diversa : ad humoris tamen peculiarem naturam est respiciendum. Cum enim major sit humoris, ex quo hæc febris oritur, frigiditas, & cruditas, quam in aliis febribus pituitosis : tanto fortiora medicamenta calefacientia, attenuantia & incidentia in hac febre requiruntur, quanto hæc pituitæ species est frigidior, & crudior. Vires in hac febre valde sunt debiles, ideoque etsi à contumaci, & rebeli humore fortiores purgationes indicentur, vires tamen debiles eas non ferunt : ideoque frequentia supplendum est id, quod una vice fortiore medicamento exequi non licet.

C A P. XIII.

*Tertiana febris causa, signa.**Gal. 2. diff.**c. 1. 3. de**Cris. 3. 1.**ad Glau. 3.**Exquisita
tertianæ
causa.*

TERTIANA FEBRIS EXQUISITA ex putrescente flava bile supervacanea incenditur, idque vel in propria cysti, vel circum præcordia cavaque viscerum, è quibus tamen & ejus nonnihil interdum in venas erumpens, sanguini permiscetur.

Hoc tamen loco quiddam admonuisse lectorem juvabit, permagni ad artem totam momenti. Bilis supervacanea sive è proprio

monitum.

N 2

folliculo,

folliculo, sive è jecore redundans, quum impetu facto irrumpit in venas, ut in ictero in tertiana febre, nonnunquam & in continua, & aliis plerisque morbis, non sanguini, sed sero vere permiscetur, nec sanguinis portio quædam fit; quemadmodum neque serum. Cujus rei hoc tibi argumentum esto, quod in iis affectibus si vena seceretur, sanguis ille ex quatuor humorum permistione constans, purus, atque synceus (nisi aliunde vitium contraxerit) apparet, nec citrino bilis calore infectus. Sicque bilis ea supervacua nusquam videtur cum sanguine concrefcere: tota quippe transfertur in serum, eique tanquam vehiculo insidet, nisi forte minimum ejus in spumam versum per summa sanguinis innatet: ac proinde ejus permistione in his febribus urinæ visuntur supra modum crassæ, atque citrinæ.

Ad tertianam qui procliviores?

Eos maximeprehendit, qui natura calidi, ficcique sunt, habitu gracili, ætate florida, qui laboribus, vigiliis, mœroribus, curis, ardoribus, victui parco, calido, siccoque assueti sunt, qui jecur impense calidum obtinent. Hi quippe bilis flavæ proventum faciunt, maxime quidem ætate, calidis, ficcisque regionibus, & æstuoso cælo. Si quid istorum deest, exquisita tertiana esse non potest.

Ejus signa.

Repente quidem hæcprehendit insigni rigore, quo plerumque corpus omne concutitur, sub cujus finem excussa bilis sæpe vomitione redditur. Hinc calor brevi accenditur, & in omne corpus effunditur, mox

ad vigorem festinans, acer, pungens, & injectam manum acriter feriens, sed statim mitescens. Laborans ita exurit, ut & corpus nudet & varie jactet, & spirandi difficultate oppressus magnum, multumque spiritum ducat, sitique enectus frigidam expetat, vigiliis, capitis dolore, & ira furoreque percitus. Longissima *accessio* horarum est duodecim, interdum septem, vel quatuor multo quidem *sudore*, eoque calido & vaporoso inclinans, quam pura sequitur intermissio. *Pulsus* accessionis initio contractus, parvus, postea vero, quam in cæteris celerior, atque crebrior, quod refrigerii major infit necessitas: vehemens, & validus, sed aliquantum durus ob arteriæ ficitatem, minimum inæqualis ob tenuitatem materiæ, cujus est facilis inflammatio, ob id etiam, quod non minor sit refrigerii ex diastole, quam expellendorum putridorum ex systole necessitas, *Vrina* flava aut flamma, substantiæ mediocris, & odore gravis. Atque hæc pura quidem & exquisita tertiana est, quam censuit *Hippocrates* septem circuitibus, quod longissimum est, judicari. 4. Aph. 59.

TERTIANA NOTHA alias ex *visellina* *Tertiana*
bile in ventriculo putrescente, ac inhærente *Nothæ*
 firmiter, alias ex *permisione bilis*, atque *pituitæ* gigni solet. Atque hæc non omnes bilis, sed quasdam etiam pituitæ causas habet evidentes. *causa.*

Accessiones nullæ anticipationis, cunctationisve certo ordine recurrunt, neque sistatæ sunt, exquisita propterea debet illa cense-

ri: non enim ex circuitu solo febris essentia spectatur: *rigor* minus quidem vehemens, sed diuturnior, *calor* minus pungens, minusque vehemens, qui non æquabilis in omne corpus invadit, non ab similibus igni ex mistis virentibus, siccisque lignis succenso. *Ardoris* symptomata omnia mitiora, quod bilis furorem pituita restinguat: hinc etiam paucos, nec admodum calido *sudore* inclinat. *Accessio* ultra horas duodecim multum ex porrigitur, quantoque longior fuerit, tanto impurior: nunquam septem, raro quatuordecim circuitibus judicatur, sæpius vero longius excurrit.

PROGNOSTICA.

Prognostica.
58.
117.

EX Paschali. Omnium intermittentium tertiana exquisita brevissima est, 7. enim circuitibus, ut plurimum, terminatur, aut ad summum 9. tantum attingit. Si in prima accessione urina subrufa, vel subflava, & paulo post albam nebulam, vel suspensionem exhibet, non ultra 4. paroxysmum protenditur: & si ea appareat primo statim die, 3. finietur. Si vero ruffa, seu ignea sine suspensione, vel nubecula in primo circuitu ad 7. extendetur: Ex consideratione etiam ægræ constitutionis, ætatis, regionis, temporis, accessionis, & febris ipsius duratio sciri potest. Nam si humor biliosus non multus sit, isque tenuis, corpus apertum, ac pervium, natura robusta, temperamentum calidum, siccum, ætas florida, regio & tempus etiam consentiunt, 4. aut 6. tantum horarum erit accel-

accessio, & sæpius tertio paroxysmo febris finem habebit: quo autem omnia ab his magis recedunt, hoc etiam paroxysmus plures horas, & febris plures paroxysmos habitura est. Quæ septimo terminabitur, quartum habere solet omnium vehementissimum: A. 4. ad 7. sensim minuitur, donec penitus non redeat.

Notha longius protenditur, raro enim 14. periodis judicatur. Sed sæpe ad 40. diem, aut interdum per menses durat, præsertim si visceris alicujus, lienis, vel jecoris vitio foveatur: alias quum materia pauca est, 5. aut 7. similiter terminatur.

Est præterea quoque tutissima, & per se minime lethalis, nisi vel magnum inveniat in corpore morbosum apparatus, vel malignam aliquam adsciscat humor biliosus qualitatem, aut perperam curatio instituat, aut errorem aliquem insignem æger committat. Sæpe desinit per *alvi eruptionem* paucorum dierum, aliquando per *decubitum*, præsertim spuria: & tum crura inflammari solent, decumbente sc: ad partes inferiores materia: aliquando per *urinas*, nonnunquam *lente* solvitur, sine crisi manifesta. Interdum tamen exquisita *duplicatur*, vel *in continuam commutatur*. Notha vero in *quartanam*, vel *quotidianam* pronatura, & ratione humoris, qui bilioso permiscetur, *convertitur*.

CURATIO.

*Curatio
absolvitur.*

EX *Paschali*, primo omnium discernere oportet, utrum febris sit exquisita tertiana, an vero notha, ut medicamenta humoribus peccantibus accommodentur, alias eadem sunt indicationes curativæ utriusque febris. Utrobique enim humor peccans *vacuationem*, calor vero febrilis sui *extinctionem* indicat. Sed præterea in tertiana notha adest humor copiosus, crassus, recessus illos œconomix naturali destinatos, obstruens, & venas mesaraicas, sive alias vicinas opplens, qui *aperientia*, *incidentia*, *attenuantia*, & *detergentia* indicat.

*Pramissa
leni expur-
gatione,
vena secti-
one.
Vomitu.*

Primo igitur expurgatis primis locis repleri solitis, die intermissionis sanguis *destrahendus* est, si vel quæpiam adest, ut ferre fit, ejus redundantia. Detraçto sanguine *vomitium* exhibere utilissimum, humor enim biliosus, & tenuis, mollisque, & sæpius ventriculo molestus, facillime per vomitum educitur. Imo etiam focus febris non raro penitus expurgatur, si oportune accommodatum aliquod vomitium præbeatur.

*alteratione
Evacuatio
per alvum
urinum,
&
sudores.
Corrobora-*

Si porro febris non mitescit, humor peccans julepis, & potionibus *preparandus*, & obstructions *aperiendæ*: dein si nullam criticam evacuationem natura tentat, *vacuationi* incumbendum est *per alvum, urinam, & sudores*. Post *vacuationem* naturam debilitatam *reficere*, & residuum fervoris interni *extinguere* tempestivum est, potionibus
scil.

scil. & confectionibus *cardiacis*, ac refrigerantibus. Denique vitium si quod est ventriculi, hepatis, vel alterius partis, appropriatis auxiliis tollendum est.

Hartmanus Specifica ad febres tertianas (quæ tamen sine methodo, & judicio exhibitæ, stagnantibus scil. corporis impuritatibus contra specificorum innatas potentias dimicantibus, parum proderunt) extant quam plurima, tum simplicia, tum composita.

Simplicia sunt. *Aqua tabaci*, seu *nicotianæ*, quæ uno atque altero cochleari exhibitæ 3. vel 4. horis ante paroxysmum, tandem paroxysmum tollit. NB. Hæc aqua in febribus plerumque movet vomitus, quos nullos facit alias in aliis morbis data.

2. *Radix Asari* scrup. j. vel ij. in vino malvatico (præsertim in quartana) 6. vel 7. horis ante paroxysmum vehementer sudores movet, & sæpius vomitum.

3. *Alumen crudum*, cujus scrup. j. vel semi in aq. vel decocto centaur. min. 5. horis ante paroxysmum datum, sudoribus, si fieri potest provocatis, quod satis laudare in quartana nequeo.

4. *Sal absinthii*, seu *ostrutii* debito modo paratum, cujus semi scrup. ad summum in aq. centaur. min. datur ante paroxysmum.

5. *Oleum pipëris nigri* per vesicam destillatum, cordiale eximium, & refrigerans, & dulce cum grata humiditate, cujus gutt. iij. vel. v. in aq. tabaci, vel centaur. min. horis aliquot ante paroxysmum datæ febrem tollunt.

refrigerantibus.
& partium emendatione.

Practica
chemiastri-
ca.

pag. 351.
Edit. Ge-
ney.

Basil. chym
pag. 403.

6. Testæ cochlearum, docente Crollio in specifico febrili, calcinatae & pulverisatæ (intelligit non marinas sed fluviales testas) dat Crollius hujus pulveris scrup. ij. instante paroxysmo in haustu cerevisiæ calidæ cum tantillo butyro recenti. Sanat per sudorem, ideoque in lecto se continentes infirmi sudorem expectent, raro bis, vel tertio assumendus.

7. Spiritus salis Ammon. cujus gutt. iij. usque ad vij. in aq. centaur. min. vel cichor. horis 5. ante paroxysmum sudoribus inde profluentibus, dantur.

Composita sunt. 1. Aqua radice imperatorie, quæ fit hoc modo. ꝛ rad. Ostrutii & vini generosi, ana, q. p. digerantur invicem in B.M. postea destilla ex alembico per arenam, in fine cavendo, ne eupyreuma redeat. Hujus exhibe patienti in die quietis, & postero 3. horis ante paroxysmum, atque ita etiam tertia die jejuno ventriculo cochlear. j. & sudores, si possit, moveat.

2. Est compositum Crollij ex oleo vitrioli, & sale absinthij, seu spir. ejus cum aq. cichorij. Crollius illud sic describit. ꝛ olei vitrioli scrup. j. (in firmis, in infirmioribus vero scrup. semis) salis absinthij scrup. j. & semis, vel j. aq. cichorii unciam. j. Misce. post hunc assumptum haustum patiens in lecto sudorem expectet, dandum, prout omnia specifica, ante paroxysmum.

3. Est aq. formicarum composita, quæ fit hoc modo. ꝛ aq. fragorum centaur. min. an. ʒ ij, mellis ʒ ij, vel iij. M. in cucurbita

bita detruncata, eamque sine integumento in acervo formicarum sepeli, usque ad summitatem, & formicæ confertim admodum irruent in vasculum dulcedine mellis allecæ. Post collectam harum s. q. exime vas, omnia invicem probe mixta agitando, per alembicum ex cineribus eliciatur aqua, quæ diligenter servanda, dosis ejus est in paroxysmi principio cochlear sem. ad summum.

Hoc tamen specificum, si æger ad vomendum minus sit dispositus, potius est intermittendum, quam temere periclitandum.

4. Sal Centaurii minoris in formam compositi hoc modo redactus. ℞. sal. centaur. min. probe facti drach. j. confer. rosar. vitrio, confer. viol. ana unc. j. M. de hac mixtura exhibe bis drach. ij. quotidie, imprimis vero ante paroxysmum 2. vel 3. horis datur etiam vesperi, & ita perge, donec declinet febris.

Petrus Lotichius describit pulverem anti-febricitum. ℞ pulv. flor. & fol. centaur. min. drach. ij. C. C. usti, drach. j. semis. sal. absinth. cardui bened. centaur. min. an. scrup. j. manus christi perlat. drach. ij. M. f. P. dosis drachm. semis. ante paroxysm.

C A P. XIV.

Quartana intermittentis causa, signa.

QUARTANÆ FEBRIS continens causa censetur melancholia putris. Hæc enim quum propriis ex causis multa cumulat,

Gal 2. diff.
feb. 29. 2.
de cris. 4.
3. ad Glau.
6.
quartana
causa.

tur,

tur, nec caloris nativi beneficio regi potest, quasi destituta putrescens hanc febrem accendit. Est autem melancholia duplex, una naturalis, quæ sanguinis quasi fex, & limus est: altera adusta, quæ uniuscujusque humoris torrefacti velut cinis est: hæcque alias ex bile flava, alias ex melancholia exusta fit: interdum, sed rarius ex pituita, aut sanguine perusto. Hinc quartanarum alia ex seipsâ, non ex aliâ præcedente febre originem habet, eaque fore succedit lienis tumori, quem naturalis melancholiæ exuperantia peperit. Alia aliarum febrium vel continuarum, vel intermittentium erraticarum soboles est, de qua dixit Hippocrates, *Interpolata febris eademque errabunda in quartanam mutabitur, præcipue si autumnus proximus est.* Humor enim quicumque priorem febrem genuit nisi integre vacuetur, exustus, crassiorque factus melancholiæ naturam subit, putrescensque subjecta fit quartanæ materia.

Prognost. 3.

in quartanam qui propensi.

Itaque eos invadit, qui melancholicum humorem congegserunt: cujusmodi sunt lienosi, & qui vel adurentes, vel erraticas febres passi sunt non integre solutas. Neque tamen in liene solo, sed & in mesenterio, & circum hypochondria exuperans melancholia concervari solet. Huic *gignenda* apti sunt frigidi, ac ficci, qui gracili, & glabro sunt corpore, ætate constante, vel jam inclinante: qui curis, & mœroribus confecti sunt, cibus diu addicti crassis, terrenis, ac omnino feculentis. *His* melancholiæ copia succrescit, autumno præsertim,

tim, & regione cœlique statu inæquali. Quumque putredinis causæ aderunt, febris exquisita quartana accendetur.

Accessionis initium à frigore est valido, quod eousque sensim invalescit dum vehementem rigorem invehat, non eum quidem, ut in tertiana, pungentem ferientemque sed vere contudentem, quo corpus universum tremore concutitur, dentes strident, articuli vero ac ossa quasi pondere obteruntur: hoc abeunte vomitio erumpit amara, quum præsertim viæ patent in ventriculum: Calor accenditur, non ut tertianæ vehemens, sed quam quotidianæ ardentior, neque is toto corpore æquabilis est, sed cum quadam frigoris permissione, & permanente quodam artuum, & ossium dolore. Sitis, vigiliæ, capitis dolor, reliquaque symptomata sæviora quidem quam in quotidiana, mitiora quam in tertiana. *Accessio*, quam in cæteris intermittentibus longior: hancque *sudor* finit quam in quotidiana uberior. *Pulsus* accessionis initio multo quam naturalis languidior, minor, tardior, ac rarior: postea vero validus, magnus, frequens, ac celer, & quam in cæteris febribus inæqualior. *Vrina* primis fere diebus tenuis, alba, aquosaque, postea vero & substantia, & calore, & contentis sæpe mutabilis, quod ejus materia plerumque varia fit, ejusque modo minimum, modo plurimum penetret in venas. Vix tota febris, nisi ex errore, ultra annum prorogatur: *solvitur* sæpe mensibus sex, interdum tribus.

Ejus signa.

Quæcumque ab hujus conditione supra *Quartana* infrave *nostra quæ?*

infrave multum recessit *exquisita quartana non est*, sed aliorum humorum particeps. Neque *exquisita* censeretur debet, quæ in annos duos excurrit, nec quam vidi in annos novem produci, nec quam infantes ac pueri citra ullum vitæ errorem ipso ortu à matre contraxerunt.

Avicenna loco cit. cap. 68. Quintana & sextana causa.

Has Hippocrates agnovit, Galenus repudiavit.

In hoc genus pleriquè referendas putant febres longioris intercapedinis, & intermissionis, quales sunt *quintana*, *sextana*, aut si quæ rariores periodos habent. Harum quippe materiam statuunt melancholiam admodum crassam, atque terrenam, qualis ab exusta pituita gignitur. Atque eam quidem paucam in parte quadam distantiore jamdiu coarctatam, ut idcirco tardius moveatur, accessionemque faciat. Has Hippocratis autoritate confirmatas, Galenus non recipit, ne vel supra quatuor humores alium statuere, vel aliam illis sedem, quam in venis, designare cogatur.

Simplicium februm formæ tales fere existunt: at certe nonnunquam variant. Nam quartana interdum à blando frigore exorta, miti dein calore in quatuor, sexve duntaxat horas excurrit. Tertiana vero hæc plerumque tum horrore, tum æstu atrocior, atque prolixior. Quam quidem aggressionem prima difficile ex typo, facilè postea sit ex circuitus ordine dignoscere.

P R O G N O S T I C A.

EX *Paschali*. Quartana omnium febrium est *Prognostica*.
 longissima: non enim ad menses aliquot, sed nonnunquam ad annos complures extenditur. Quæ æstivo tempore oritur brevior est, autumnalis longa, præsertim quæ hyemem attingit, quod humores intus remaneant, meatibus corporis frigore ambiente occlusis. Est quoque omnium facillima non curatu, sed toleratu, quia solum horas plus minus 12. durat, inde biduum intermittit magno ægrorum commodo, qui interea ad consuetas operas redire possunt, natura tum sese recolligente, & in proximum paroxysmum vires acquirente. Insuper est omnium securissima ex sui natura, ut etiam morbos aliquando gravissimos superare possit, & ab iis ægrum præservare atque liberare: quia multa prava vomitu vacuantur, vel ad partes ignobiles mittuntur, & calore febrili toties recurrente attenuantur, absumenturque morbos alioquin effectura. Est tamen ex accidenti aliquando lethalis, quando scilicet insignem sequitur obstructionem lienis, aut hepatis, præsertim si ætate consistente, vel jam inclinante contigerit; unde ægrum tandem in hydropem lethalem, vel scorbutum deducit.

Mala est quæ duplicatur, vel triplicatur, vel in continuam degenerat errore ægri ipsius, vel curantis. Quum male tractata, & curata est in morbos melancholicos, ut maniam, scorbutum, icterum nigrum, & alios transit.

Cæte-

Cæterum notha brevior esse solet exquisitâ, cum enim humor melancholicus sit omnium crassissimus, quicumque ei admisceatur, reddit eum tenuiorem, unde quartana efficitur brevior.

CURATIO

*Curatio
absolutiva.*

Prima cura morbi causam respicit; humor congestus educendus, & viscerum intemperies, ne nova subinde materia progeneretur emendanda: sed quoniam materia ejus est crassa, tenax frigida & sicca, moderate calefacientibus, humectantibus, attenuantibus, & aperientibus primo præparandis, refrigerantibus non nisi circumspicte utendum, nec tamen *antiscorbutica* negligenda.

2. Præparatione.

2. Purgatione.

3. Vomitu.

4. Venesectione.

5. Sudoribus, & specificis.

6. Fermentatione.

Præparatus humor per intervalla expurgandus, primum *mitioribus*, dein validioribus, ut *confect. Hamech*, pul. com. de *Warwijck*, *vomitiva* interdum (quamvis *clariff.* & *Expertiff. Walæus*, & *Hartmannus* ea non probent) locum habere nonnulli volunt.

Et si corpus fuerit plethoricum, vel si magnus adfuerit æstus, *venesectio* commode inffitui poterit, vel etiam *hæmorroides* in assuetis aperiri.

Hinc ad *sudorifera* & *appropriata* procedendum, qualia sunt rad. *gentian.* *card. bened.* *absinth.* *verbe. theriaca.* *mithridat.* *C. C. usti*, *sal. absinthii centau.* &c.

Si his non cedat, *fermentatio* ad attenuandos humores instituenda, ex *chalyb.* per *magdale-*

daleonem sulphuris pulverisati ℥ ij. mace-
rati in cerevisia tenui per octo dies, inde
bibat æger mane ℥ ij., consumpto liquore
eidem chalybi alius infundatur, iterum-
que æger hoc potu quotidie mane uta-
tur.

Et lieni, qui ut plurimum hic afficitur
prospiciendum, tum per interna, tum per
externa, ut fomenta, inunctiones, empla-
sta.

Ut & die paroxysmi *Iejunium*, maxime e-
rit conveniens.

Hartmannus Inter quartanæ *specificæ* enu-
merat. 1. Oleum Myrrhæ, cujus guttæ
4. ad 8. in vehiculo convenienti exhiben-
dæ.

2. Succum nasturtii aquatici cum ana-
ceti mixtum, & si ferre possint cum oleo
communi (raparum) distemperatum, cujus
cochlearia ij. vel iij. cum guttis vj. vel viij.
spiritus salis absinthij (in ejus defectu, sa-
lis absinthij, vel spiritus absinthij) paulo
ante paroxysmum exhibita, ter, vel quater
continuando, stato paroxysmi tempore,
etsi ille emanat, febrem tollent.

3. Pulverem serpentum, seu viperarum,
cujus scrupul. j, vel j. semis in convenienti
vehiculo ante paroxysmum datus, itidem
eam tollet.

7. *Lieni
prospicien-
dum.*

8. *Iejunio.*

*Praxis
chymiatricæ
cap. 359.*

Prognostica
 quinquana
 &c.

P R O G N O S T I C A

Quintana, sextana &c.

EX Foresto. Quintana aliis periculiosior, & si tabem adjunctam habet, lethalis, si vero hæc abest curationem admittit.

C U R A T I O.

Curatio.

EX Foresto. Multi, quia putant has febres ex eadem cum quartana causa oriri, eas etiam eodem plane modo curant, primis diebus victus sit tenuior, postea crassior, & circa statum iterum subtilior, sed si hecicam antecedant, vel sequantur, jejunium locum non habebit, sed dabis victum velocis nutritionis. Si hecica præcessit, nec sequatur, conferet, ventris lenitio, item vomitus lenis ab initio, si sit phlegmatica, & non atrabilaria, interea materia præparanda incidentibus, concocta purganda; dein theriaca in phlegmatica valde erit utilis.

C A P U T X V.

Gal. 2. diff.

febr. cap.

2. 7. 8.

2. Cris. 7.

Febres
 composita
 vel

De compositis febribus.

Simplex, & exquisita febris ex unius simplicisque humoris corruptione proficitur, & ejus omnes causæ, omniaque signa, nempe natura, ætas, victus, ratio, regio, anni tempus & status cœli, omnia denique sympto-

symptomata in unius ejusdemque humoris dominium conspirant.

Composita autem febris *bifariam* dicitur, vel quod ex multis confusis, vel quod ex implicitis constet.

Confusæ sunt, quæ ita permiscentur, ut simul incipiant, simulque desinant. Fiunt autem ex diversis humoribus eodem loco permistis, atque confusis, pariterque putrescentibus. Nulla seorsum internosci potest, neque ulla simplex ac pura elucet, sed sunt earum signa confusa. Hæ sunt quas supra febres nothas appellavimus.

Quum par est confusarum modus, vix ullum potest definitum genus signari: quum vero impar, confusa febris ejus quæ plus pollet, potiorque est, genus, nomenque sortitur. Quæ plus bilis putrescentis, quam cæterorum humorum nacta fuerit, *tertiana* appellabitur, sed *notha*, ac illegitima: & *quotidiana notha*, in qua non syncera pituita, sed alterius quippiam humoris una putrescet: *quartana notha*, in qua melancholia aliis etiam humoribus perfundetur.

Implicitæ febres sunt, quæ diversis horis incipiunt, diversisque desinant. Harum unaquæque seorsum consistit, propriamque essentiam habet, tametsi accessionum partes quædam in tempus idem concurrunt. Fiunt hæ ex diversis humoribus non eodem loco positis, sed quorum sua sit cujusque sedes, sua essentia, suusque motus. Harum unamquamque tanquam seorsum, atque solitaria confisteret, minime arduum fuerit propriis signis internoscere.

Continua non implicatur continua. Continua cum continua duntaxat confunditur, non autem implicatur, & absurdum est, quod scribit Avicennas, unius continuæ putredinem ex uno loco, alterius ex altero effundî. Nam revera in utraque humores in venis putrescunt majoribus, in hisque agitati permiscentur.

Sed intermittens. At intermittens, tum cum altera intermittente, tum cum continua implicari solet. Quum itaque tres sint omnes simplices intermittentium differentiæ, quotidiana, tertiana, & quartana, harum unaquæque cum altera, vel ejusdem, vel diversi generis implicari potest.

Intermittens simili. Ex similium generum implexu hæc sunt. Duplex quotidiana, quum in dies accessiones duæ typis definitæ contingunt, quod admodum insolens est. Duplex tertiana frequens obtingit, cujus accessiones quotidie fiunt, sed nec iisdem horis: fere enim quæ diebus imparibus fiunt accessiones, similes inter se sunt atque iis dissimiles, quæ in dies pares incidunt. Duplex tertiana à simplici fere initium habet, cui dein accedit & altera: & implicitarum una prior terminari solet, altera manente. Non minus frequens est duplex, atque etiam triplex quartana: illa duobus diebus exercet, uno intermittit: hæc quotidie accessiones habet easque raro pares. Utraque solet à simplici nasci, cui dein altera, postea vero & tertia ad illas se applicat. Has omnes à quotidiana typis distinguit, quod sint quotidianæ similes. Et licet similes forte contingant, ex movendi tamen inpetu, & ex commemoratis signis inter-

internosci possunt. Neque enim duplex tertiana similes atque quotidiana accessiones efficit nec triplex quartana similes, atque tertiana duplex, quotidianave: nec similes evidentes causæ sunt, quæ melancholiæ, atque bilis, aut pituitæ dominium proferant.

Jam vero *intermittentes diversorum generum* *dissimili;* perquam raro implicantur, ut quotidiana, & tertiana, tertiana & quartana, idque si quando inciderit, primis vix diebus animadverti potest.

Cæterum *intermittens*, ut tertiana, interdum *continua* jungitur; atque hæc à tertiana continua distat, quod hujus exacerbationes sine horrore rigoreveprehendant, nulloque sudore inclinent: in illa vero contra à rigore incipiunt, inclinantque cum sudore: nec tamen ut in intermittente sudorem sequitur integritas, sed alterius continuationis.

Hujus generis est, quæ SEMITERTIANA dicitur: continua quidem, ac minime intermittens, uno die cum horrore invadens, hincque gravius increfcens affligensque, altero autem levius. *Eguarum genere est semitertiana.*

Constat enim ex *tertiana intermittente*, & *ex quotidiana continua*: unoque die accessiones duas habet, altero unicam. Si pares ambo sunt humores, exquisita fit semitertiana: si vero bilis exuperat, ardentior fit, & tertianæ magis affinis: si pituita, mitior, magisque quotidianæ particeps. *Prima,*

Quotidiana intermittens si quando *tertianæ continua* jungatur, atque implicetur, semitertianam quoque efficiet, eamque exquisitam *Secundamque.*

sitam: & nunc dictæ persimilem, si humores ipsi æquales concurrant: non exquisitam vero, exuperante eorum alterutro.

His ad unguem comprehensa mihi videtur omnis putridarum febrium tractatio.

PROGNOSTICA

Semitertiana.

Prognostica.

EX Paschali. Semitertiana est periculosa, longa & difficilis. *Periculosa est*, quia periculosissima inducit symptomata. Nam ventriculum frequentissime subvertit, partes nervosas lædit, quod solet esse diuturnitatum principium: Soporosos, & veterneolos invehit affectus, deliria, & vigilias, hypothymiam, & syncopen: vehementer ea quæ in alvo sunt commovens, denique quia grave est, ac periculosum, partim exhorrescere, partim incallescere. *Longa est* ex pituita, propter quam diuturnis interdum, morbis adjungitur, & ad mensem 7. quandoque producitur: brevitatem & periculum ex bile largiore, ex pituita longitudinem habet. *Difficilis est*, propter variam, inæqualem, & confusam ejus naturam, unde contrariæ indicationes oriuntur, & duo evincendi sunt humores in locis distinctis consistentes, & naturæ admodum graves: præterea remedia, quæ uni conveniunt, alteri fiunt incommoda: tempus vix aliquod opportunum permittitur medicationi. Denique utraque febris ad se curationem trahit.

CURA-

C U R A T I O

Semitertiana.

EX *Paschali*. In indicationum contrarie-
tate ejus major est habenda ratio, quæ *Curatio*
urget magis. Itaque si tertiana prævalet
major est refrigerantium, & humectan-
tium, quam incidentium, & attenuantium
necessitas. Et contra si quotidiana magis
urget. Si par utriusque ratio, pariter utri-
que prospiciendum. In remediorum autem
exhibitione, eo semper respicere oportet,
ut quandoquidem vix ullum est tam præcla-
rum remedium, quod dum juvat, simul
etiam non noceat, potior sit ratio juvantis.
Mediocria igitur, magisque temperata eli-
genda sunt, nam quæ valde incidunt, atte-
nuant, aperiunt, simul etiam valde sunt
calida, & sic augent febrem.

*Vires alternatim reficiendæ & viscera ac
ventriculus roboranda.*

C A P. XVI.

Hæctica febris gradus, causa, signa.

*Gal. 1. de
diff. feb.
c. 8. 9. 10.
Hæctica
quæ?*

FEBRIS HECTICA est calor præter na-
turam in cordis substantiâ primum ac per se
hærens & infixus.

Hic autem cordis vitalisque principij,
mox etiam reliquarum partium similarium sub-
stantiam obsidet, quod omnis cordis intem-
peries mox corpori reliquo facile impertia-
tur.

tur. Consistit in cordis partisve similari-
stantia, non quidem leviter, ut epheme-
ræ ac putridæ febris calor, qui ex accenso
spiritu vel humore in partium similarium
substantiam quadantenus effunditur; sed
penitus, quali immersus primum ac per se
in propriam partis substantiam infigitur.
Quumque partis similari duplex fit calor,
unus elementaris, alter divinus, non hic
quidem, sed unus elementaris supra mo-
dum auctus, hecticæ febris est essentia:
cujus tamen vi tum divinus ille calor, tum
quicquid in similari parte consistit, tandem
exhauritur.

Etenim partis similari triplex est sub-
stantia, solida, humida, & spirituosa. Hu-
mida rursus triplex, carnosa, quæ nil
quam concretus est humor alimentarius:
primigenia, quæ propria est innati calidi
substantia, in qua spiritus, & calor innatus
primum consistit: aquea seu elementaris,
qua tanquam glutino solida substantia cohæ-
ret ac persistit.

Hecticæ

*gradus pri-
mus,*

Quum itaque febrilis ille calor cor & u-
namquamque partem similem invadit,
primumquidem carnosa quoque illius sub-
stantia incenditur & effervescit, ac quam
diu nihil ejus aut exiguum dissipatum est,
primus est febris hecticæ gradus.

Secundus,

Secundus quum amplius procedente calo-
re aut pluriina, aut tota carnosa hæc sub-
stantia absorpta est: nam & hujus multi
existunt ordines.

Tertius.

Tertius hecticæ gradus est; quum ab-
sorpta carnosa substantia, calor ille febrilis
& imma-

& immanis primigenium humidum manifeste depopulatur: hic verus est marcor, & febris hectica cum marcore, quam Græci *μυροσπαιδν* & *αδσφρυγν* appellant.

Per hanc quidem insitus spiritus, atque *Hic curari calor qui eo humido innititur, omnisque nequis.* hinc prodiens facultas magnam facit virium jacturam & corporis vires omnes marcescunt & languent, omnesque functiones intercidunt. Hæc si manifesta jam est, *penitus immedicabilis* existit. Quum enim nobis insitum sit & ex semine contractum humidum id primigenium quicquid illius absumptum fuerit, resarciri nunquam potest, & hominem necesse est multo ante tempore interire, quam major illius portio disperdatur.

Carnosa autem substantia quia instaurari *Sed curari potest, secundus hecticæ gradus curationem potest se-admittit, nisi jam forte marcori sit proximus, cundus,* potest, *secundus* hecticæ gradus curationem potest se-admittit, nisi jam forte marcori sit proximus.

Ut autem febris calore, ita etiam ætatis decursu sine febre, sine dolore, solo interdum senio naturalique siccitate carnosum id humidum absumitur, deinde & primigenium, fitque simplex ex senio marcor: quemadmodum & dum arbores verustate senioque marcescere comperimus.

Hectica porro febris quæ vera simplex *Hectica que existit, aut statim ab initioprehendit, causa.* aut ephemeræ succedit. Hæc in eum duntaxat incidit, qui natura calidior sicciorque fuerit. *Fit aut à vehementibus causis evidentibus,* ut ab iracundia, à mœrore, labore, æstu, siti, inedia. Hæc siquidem causæ quum

quum leniores sunt, ephemeram, quum vehementissimæ, hecticam: movent statim nimirum inflammatis solidis partibus.

Signa primi gradus.

Incipientis hecticæ febris *primique gradus signa* sunt quum vehementes causæ evidentes antecesserunt. Exacto triduo aut quadriduo quum ephemera amplius dici nequeat, si febris perseverat æqualis citra insignem vel additionem, vel minutionem, quæ quia æqualis existit, sine ullo dolore est, vixque laborans febricitare se putat. Magna virium imbecillitas est, cum quodam languore. Tangenti calor mitis primum apparet, sed mox acer ac mordax. *Pulsus* debilis, parvus ac frequens: & arteriæ quam circumpositæ partes calidiores sentiuntur, maximeque in diastole. Hora una duabusve ab ingestio cibo calor exacuitur, pulsusque crebrior atque celerior evadit: cibo autem confecto febris in pristinam æqualitatem redit. Ut enim si calcem humore conspergis, vapor multus acriorque calor suscitatur, ita & corporis solidæ partes hectico calore obsessæ ampliorem calorem effundunt, dum cibi madore proluuntur.

Secundi gradus.

Quum *secundus gradus est hecticæ*, præter superiora invalescente cordis siccitate, corpus jam manifeste liquefcit & absumitur. *Urinæ* pinguedo telis araneorum similis innatat, cutis non rugosa & mollis ut iis qui aliis de causis extenuantur, sed ut cæteræ solidæ partes arida squalidaque existit. *Pulsus* durus tensusque est, multoque debiliior ac minor.

Febris

Febris marasmodes verus marcor & tertius *hectica gradus*, est, quum præ ficcitate consumptioneque corporis, oculi supra modum cavi sunt, & prominent quæ circiter sunt ossa, aridæ palpebræ vix attolli possunt, atque ut dormienti connivent: neque tamen is status somnus est, sed dormiendi impotentia. Collapsa tempora ac summe cava quod eorum caro absumpta sit, frons dura, intenta & arida: facies squalida & plumbea, cujus & vividus color periit. Venter quasi inanis depressus atque contractus, reliquumque corpus omne ita aridum, ut nihil præter ossa membranis & cute obducta, & quasi sceleton esse videatur: ipsaque cutis apprehensa, ut corium aridissima apparet. Pulsus omnium maxime durus, parvus, debilis ac frequens.

Atque quidem hectica febris omnino simplex est, alteri nulli permista, quæ proculdubio rarissima usu obtingere animadvertitur.

Est & alia febris hectica aliquanto frequentior quæ acutam ardentemque febrem excipit. Quum enim admodum vehemens est febris incendium, & laborans natura calidus sicque diutius inediam aut sitim tolerat, nullaque ope incendio succurritur, colliquescit carnosa simularium partium substantia, & febris in partes solidas invadit, easque populatur. Hæc proprie ardens & colliquans est febris, id brevi efficiens quod simplex hectica sensim, multoque tempore.

Traditur & tertia hectica differentia ex partis cuiuspiam affectione, præsertim ex jecoris,

Tertii gradus.

Præterea alia hectica est ex febris ardente,

Et parte putrescentiæ, &c.

lienens, ventriculi, pulmonum, thoracis, renum vel intestinorum inflammatione haud rectè curata, maximè vero si purulenta evadat. Quum enim febrilis calor diutius in his persistat corque obsideat, solutu certè quidem difficilis evadit, ac tum cordi, tum cæteris partibus summam siccitatem ingenerat.

Sed ea spua sunt.

Cæterum hæc propriè hectica censei non potest, sed symptomatica febris, eaque plerumque lenta, de qua ante jam dixi. Quinetiam neque hoc genus, neque alterum præcedens in hectice simplicis genere contineri potest: utrumque enim ex putredine natum est, quam etiamnum diu redolet: ejus quippe indicia in pulsu, in urinis, in siti, in aliisque symptomatis permanent. Quin & crebræ in his excandescentiæ etiam sine cibo fiunt, & inæqualitates, & crebri horrores, quum præsertim purulenta est collectio. Itaque omnis quæ hectica appellatur ex putridâ febre profecta, putredinis etiamnum particeps est.

PROGNOSTICA

Hectica.

EX Paschali. Hectica incipiens ut difficulter cognoscitur, sic facillimè curatur. Quæ ad statum jam pervenit, quo propinquior extremo suæ latitudinis termino, eo incurabilior, & tandem planè lethalis. Quæ in augmento, medio modo se habet, majori tamen ex parte curari, si rectè & tempestive tra-

vè tractetur, potest. Est tamen morbi longitudo, & difficultas ætate, & corporis constitutione metienda. Nam in junioribus, quibus cor tenerius, calor ille extraneus facile imprimitur, sed temperamentum alteratum facile etiam ad pristinam suam naturam reducitur: unde hectica in illis, nondum tamen confirmata, citius sanatur: in adultis vero tardius, & difficilius, in senibus quocunque modo se habeant, incurabilis ferè existit. Quæ à corde primum affecto initium accepit, celerrimam mortem invehit: tardius quæ à jecore, & ventriculo. Quæ ab aliis partibus ortum habet, tanto tardius mortem infert, quanto earum quælibet minoris præstantiæ fuerit.

C U R A T I O

Hectica.

HECTICA simplex, cum nihil aliud sit, quam intemperies calida, & sicca in solidiore cordis & per dependentiam totius corporis substantia in habitum conversa, unicam præbet indicationem curativam alterandi per contraria refrigerantia & humectantia: major tamen humectandi ratio esse debet, quam refrigerandi, quia periculum non tam à calore p. n. quam à ficcitate dependet. *vires, quæ in dies magis debilitantur, sui refectioem indicant, omnia igitur ita sunt instituenda, ut utrique scopo satisfiat. Et primum Dieta quæ prope curationem absolvit, ita accommodanda est, ut magnitudini morbi,*

Cura absoluitur.

1. *alteratione & humectatione.*

2. *Vivendum refectioem per dietam.*

morbi, & lapsui virium respondeat. Ex cibis, qui in communi usu sunt, cancri fluviatiles, cochleæ, seu limaces, ostreæ, & id genus conchiliorum, enumerantur. Quæ propter excrementitiam substantiam quam præ se ferunt, prius sale fricari, & ablui, debent hæc cum per prisana hordeacea ita ut caro lique scat decoque, hinc per setaceum trahere, adde sacchari albi q. s. fiat cibus. Porro conveniunt cibi ex hordeo, amygd. pistac. pineis, sem. frig. maj. ex his *emulsiones*. In primis *balneum* usurpare convenit, quod plurimum humectat, & non nihil refrigerat, si rite adhibeatur. A Balneo humor molli linteo detergatur, & spina dorsi inungatur ole: nymph. violac. ros. amygd. dulc. mucilag. semin. cydon. psyll. &c. *Epithematis* modicè refrigerantibus foris partes foveantur. Intus vero *julepi* similiter alterantes, & ardorem febrilem mitigantes præbeantur. Sed antequam quicquam fiat, necesse est prius omnem è ventriculo & primis viis eluivem clystere, vel blando medicamento *expurgare*. Cæterum non semper simplex hæctica ægrum infestat, sed vel partis cujuspiam affectio, vel alia febris eam comitatur & horum rationem habere oportet. Frustra enim hæctica curatur manente causa à qua producta est. Semper autem quod magis urget, & à quo majus periculum impendit, primo loco tractandum est.

3. Balneo.
Gal. 10. m.
m. 10.

4. Purgatio de leni.

C A P. XVII.

De malignâ, pestilenteque febre, qua totius
substantiæ morbus est.

MALIGNA FEBRIS est, quæ non modo
calore, sed & qualitate venenata cor fatigat.
Qua enim febris est, calore; quâ maligna,
perniciè molesta est.

Venenata qualitas appellatur, cujus vis &
perniciès supra vulgâris putredinis condi-
tionem est. Ea autem vel intus spontè gignitur
in nobis, vel extrinsecus inducitur, idque alias
è sublimi, aliàs aliis ex causis.

E sublimi venenata febris quæ fit, pestilens
est, aliis ex causis simpliciter maligna.

Hæc itaque fit, quum in nobis humores,
præter simplicem putredinem, alienam quo-
que perniciem his ex causis contrahunt. Hi
enim vel sponte sua eo interdum sensim ve-
rustate degenerant, ut prassina, cærulea,
atrave bilis putrescens, vel vitiosi cibi atque
potus, quia sint cujusdam veneni partici-
pes, naturæ suæ humores febresque profes-
runt. Aëris quoque inquinamenta, quæ ex
infectis paludibus, lacubus antris, specu-
bus, hominum animantiumque cadaveribus
aut excrementis, aut ex aliis gravioribus
expirationibus sunt contracta: & quæ ex
temporum tempestatumque inordinatis ex-
uperantiis procedunt. Quæcunque his ex
causis genita sit perniciès, ea vel cum aëre,
vel cum cibis, vel quovis modo aliter in nos
penetrat, atque si suscipiendæ febrì præpa-
raturum

Ex Gal. de
Siff. febr.

cap. 4.

Aetio l. 5.

c. 94. 95.

Avicenna

loco cit.

tract. 4.

Febris ma-

ligna,

Alia pesti-

lens, aliis

simpliciter

maligna.

Causa hu-

jus.

ratum corpus est, maligne corruptis humoribus febrem infert simpliciter malignam.

Causa pestilentis.

Pestilentis autem febris causa est perniciosa, venenataque qualitas è sublimi cælitusque in aërem demissa, quæ quasi furibunda passim involat in vulgus. Quia autem pestilentia semina aëri inspersa inspiratione perspirationeque intro subeunt, si cor affectioni præparatum est, id continuo, inde vero arteriarum spiritus, postremo humores corpusque universon labefactant.

Sed est cognitu difficillimum, quid corpus unumquodque pestilentia obnoxium reddat.

Signa utriusque simplicis.

Quum maligna pestilentia febris simplex est & solitaria citra putridam, *pulsus* languidus, parvus, frequens, celer, omninoque inæqualis existit: vires omnes præsertimque vitales concidunt: frequens animi defectio ac interdum syncope: assidua vomitio, per quam ne cibus quidem optimus cor recreat: *vigilia* molestæ, frequens corporis jactatio, *urinae* nec crudæ, nec turbidæ: sanorum similes nec fitis vehemens, nec appetentia dejecta, nec magnum incendium, nec febris admodum ardens, ut idcirco interdum ægri nec se febricitare putent, & sine sensu doloris viribus extinctis inopinato decedant. Hæ igitur notæ sunt malignæ, pestilentisque febris.

Cum putrida conjuncta.

Quum autem solitaria non est, sed *putrida permixta*, commemoratis signis accedunt capitis dolor & gravitas, & in somnum propensio, deinde delirium, spiratio difficilis & graveolens, fitis inexhausta, dejecta appetentia,

petentia, biliosa vomitio, interiorum æstus vehemens, & extremorum frigus, ut idcirco febris foris mitis sit, intus conturbans: *urina* cruda, turbida ac fœtida: fœda & graveolens alvi proluvies, aliaque plurima quæ pro varia corporis humorumque constitutione alia alios exercent. Hæc enim constitutionis varietas causa est, cur vix duos usquam videas eadem contagione inquinatos similibus premi symptomatibus.

Futurorum porro *graviorum malignorumque morborum præsagia* quædam sunt. Ver pluviosum & australe, æstasque fervida: nam putredo corporibus accersitur. Auster sine pluviis diu perseverans omnia quippe corrumpit, quia natura calidus humidusque est: pluviosus vero calorem æstumque temperat. Aër turbidus, caliginosus, æstuosus quodam caumate, sine ventis aut levi austro. Nam flatu quovis & tempestate valida aër expurgatur, neque putredinem ingenerari finit. Cometæ, stellæ cadentes, hiatus, ardores, & alia in æthere nocte conspicua. Hæc enim singula si diu persistant, putredinis tum causæ, tum signa perhibentur.

Ejus vero genitæ, aut proxime *impendentis signa* sunt, insectorum & ex putredine genitorum animalium exuperantia, cujusmodi sunt pulices, cimices, muscarum varia genera, locustæ, ranæ ac mures. Sæpe quæ in terræ visceribus degunt animalia, errabunda profiliunt: aviculæ corruptione percepta nidos deserunt, cælumque mutant: nonnunquam minorum animalium,

Prognostica quibus præsentitur gravis annus futurus.

Isque jam imminete:

quæ proniore sunt capite, ut ovium, magna clades antecedit. Ex his igitur præfagiri potest annum gravem calamitosumque fore, in quo putridi malignique morbi grassentur.

Non pestilens.

At vero *Pestilentem annum fore*, non hinc prævidere licet, sed ex solâ syderum commistione, quæ illius est procreatrix.

Fern cur. feb. c. 10. Gal. 3. de Cris. c. 10. Aetius &

Avicenna cit loc.

Initio febrium earum exitus ambiguus est.

Judicium febrium continuarum exitialium & pestilentium.

EXitialis eadem plerumque ac salutaris febris exordia sunt, nec sævitia ejus, nec symptomatum vis aut ratio diversa, aut progressu uniuscujusque genus dignoscitur. Alias enim statim ea dum incipit vehementer conturbat, talisque persistit: Alias à levioribus orta initiis sensim invalescit, dum summam vehementiam, aut malignitatem nacta prorsus jugulet. Atque alterutrum etiam incipiente salutaris febre deprehenditur, raroque primis diebus exitialia signa existunt. Quocirca *in initio nihil de morbi exitu cito pronuntiandum*, sed omnia adhuc in incipiti versari.

Crudis adhuc urinis.

Atque licet nonnulla symptomata mitescant, ut hinc aliquid melius sperari possit, quamdiu tamen confusæ, aut *crudæ* apparent *urinae*, spes semper dubia est & incerta, atque inter spem metumque versatur æger, præsertim si acuta febris & anceps est. Nonnunquam enim in levioribus cum

crudi-

cruditate (quemadmodum quibusdam tertianis) certa est salus.

Si deinde quarto , septimo , aliove decretorio die aut circiter manifesta elucet concoctio , spes quoque elucet , si modo ea permaneat. Interrupta autem concoctio infida est : Perseverans vero atque in dies melior succedens concoctio , certæ salutis est nuncia : modo nec pestilens febris sit , nec malignitatis occultæ particeps.

In pestilente simplici , urina nonnunquam in toto decursu concocta existit. In pestilente , quæ est conjuncta putridæ , licet quæ confusa & cruda fuerat urina , superatâ deinde putredine , coctionis notas exhibeat , permanens tamen cæca ejus malignitas plerumque hominem de medio tollit.

Nonnunquam etiam (licet admodum raro) in putrida simplici , quæ nullius erat malignitatis pestilentis particeps , notari post urinas diu concoctas interitum nullo errore consequi. Urinis igitur non semper fidentum nisi & undique meliora signa compareant , præsertim ex pulsu & virium robore.

In acutâ febre putrida , cui nulla malignitas comes sit , si crudæ urinae , aut etiam obscure seu ex dimidio coctæ diutius perseverent , diemque decimum quartum excedant , si natura nullam procedente morbo utilem vacationem per os , per alvum , aut sudores molitur , qua levari æger videatur , tota morbi materia intus ad undecimum vel decimum quartum diem , aut si vehementior febris est , ad septimum subsistente , tum qui-

Sed concocta urina spes elucet salutis.

Nisi in pestilentibus ,

Et quandoque in putrida.

Spes quoque solutionis , etiamsi diu cruda maneat , & postea consequantur :

dem anceps adhuc morbus est: ac tum si vè symptomata ingravescant, si vè mitescant, si concoctionis indicia apparebunt, salus quidem sperari potest, non crisi, sed lentà paulatinàque concoctione, cui sane diuturnitas comes est.

Contra, si nulla concoctio appareat.

Sin vero omni suppressà vacuatione naturali, cruditas aut etiam obscura concoctio diutius perseveret in urinis, nec manifesta concoctio in valde acuto septimo die, nec in minore decimoquarto appareat, formidabilis est: ac deinde si vè symptomata ingravescant, si vè mitescant, si perseverante cruditate, pulsus languidior, vox respiratioque difficilior evadit, & laboranti robur viresque concidunt, res ad exitum vergit: natura quippe morbi magnitudini succumbit. Quanto postea deteriora hæc omnia fient, tanto propinquior exitus erit: ad hæcque attentus, si diligenter æstimes, quantum vires declinent, aut quantum sustinere morbum queant, æstimare quoque possis quando moriturus sit æger.

Ab initio tamen quoque exitus æles cognoscuntur.

Exitialis morbus interdum ipso statim initio dignosci potest, quum summo quodam furori incipiens vel corrupti humoris copia, vel malignitate, vires, nativumque calorem premit ac fere obruit, spiritu difficili, cum vomitione vel nausea, cum pulsu parvo ac celeri, cum magnà corporis dissolutione, & cum urinis confusis. Quia ita statim dum incipit, tam sæva, & tam exitialia signa exhibet, vix ante potest evinci. Licet enim vacuationes idoneæ tempestivè decernantur, aut etiam sponte contingant utiles, quibus

quibus noxii humoris portio quædam detrahatur, omnia tamen quæ dixi exitialia signa permanent, aut etiam deteriora fiunt, aut nova emergunt. Quum igitur procedente morbo sic omnia progredi videbuntur, deplorata sit omnino salus.

Exitialis alius est initio qui *lentius invadit* atque progreditur, nec multum distat ab eo, qui simpliciter crudus est, atque is sane anceps est: quia licet quædam præ se ferat lethalia signa, ea tamen emendari possunt: & qui sic leviter exitialis est arte potest salutaris reddi. Crudus morbus urinas habet, quales fere exitialis: at lethalia signa non adsunt: hicque quamdiu crudus est, facile potest vel errore, vel negligentia in exitialem transire. Quorsum autem fiat mutatio procedente morbo, ex his quæ nunc dixi, deprehendi potest.

Lenta

Salutaris simpliciter *morbis* nec magnæ cruditatis nec mortis notas habet: atque licet nulla artis subsidia opitulentur aut levis quidam vivendi, aut medendi error committatur, sponte tamen sua solvitur ad salutem.

Salutares

PROGNOSTICA.

EX *Paschali*. Febris pestilentialis nulli ætati est addicta, propter contagium, per quod propagatur, omnibus peræque adversum, tamen cachecticos, biliosos & juvenes magis, quam senesprehendit. Quovis anni tempore & perinde hyeme atque æstate, vere ac autumno incipit, tamen quæ vere, vel æstate incipit, hyeme solet

definere , quæ vero autumnò , vel hyeme longius protenditur.

Ad interitum sæpius terminatur 24. vel 30. horarum spatio, interdum die 3. 4. & 5, raro ad 7. vel extra extenditur. Nam accidentia & symptomata adeo sæva vix aliquam sperare salutem permittunt. Adde quod morbus contagiosus multos arcet à subsidio ferendo. Si qui tamen ex infectis evasuri sunt, id tum sperare oportet, quando bubones subito erumpunt, ad locum minus periculosum cum remissione symptomatum & mox ad suppurationem festinant. Pariter maculæ, quando prodeunt multæ, magnæ, rubentes, quando assumpta non revomuntur; sudores critici alleviantes fiunt: vires non adeo collabuntur, & melius se habent ægri ad ea, quæ offeruntur: Sæpe tamen extremis omnibus apparentibus, non pauci eluctantur, ac veluti ex orci faucibus eripiuntur. Ex iis, quæ mala sunt, prorsus lethale est, humores in loco periculoso tardius erumpere, minores, atque intro recurrentes, *Septu* etiam & maculæ paucæ lividæ, violacæ, nigræ, & quæ intus subeuntes delitescunt. Virium languor subinde major, anxietas, cardialgia, vomitus frequens, vulnus horridus, sudores frigidi, inordinati, foetidi, fluxus colliquativus.

P R Æ .

P R A E S E R V A T I O

à peste. Ex Paschali.

Cæterum quia grassante peste, non minor est cura sese ab eâ præservandi, quam infectos curandi, ideo præservandi feseperationem, præmittere operæ pretium est. Tota sese præservandi ratio in duobus consistit. *Primum* est, ut causæ illæ, quæ pestem inducere aptæ sunt, vitentur, & removeantur. *Deinde* quum causas illas fugere, aut remove non semper in nostra sit potestate, & non raro vel nolentibus, vel ignorantibus offerantur, ut causarum illarum vis infringatur, & corpus ad suscipiendum pestem minus aptum, ad resistendum vero validum reddatur. Quoniam vero tempore pestis aër, effluviis & vaporibus pestilentialibus repletus est, fugiendæ pestis nulla consultior est ratio, quam *fuga*, locique, ubi pestis grassatur, mutatio. Si quis igitur venientem pestem fugere potest, nihil prius facere oportet, nisi enim *cito* fiat, aëris vitium subire etiam cautissimos potest, spiritusque atque humores inficere: idcirco ex his, qui serius, quam oportet, locum mutant, non pauci pestis causam in sinu fovent, quæ vires acquirit eundo, eosque brevi in aëre serenissimo, atque saluberrimo incautos perimit. *Longe* vero discedere expedit extra pestilentis regionis limites: aëris enim vitium vicina loca facile pervadit: præstat autem septentrionem versus *fugam* suscipere, quia ab austro fere omnis

Præservatio consistit.

I. In causarum remotione,

I. per fugam.

pestis origo promanat. Dico porro illic *immorandum*, donec omnis prorsus extincta sit aëris malignitas. Qui vero iustas ob causas ficere id non potest, non solum corpus suum ab omni excrementorum illuvie liberabit, sed etiam ita disponet, ut quotidiano alexiteriorum usu, quam minime aptum sit contagium recipere. Ut igitur corpus ab excrementis excipiendæ pestis idoneis vindicetur, cathartica leviora in usu habenda. Valida vero dum humores exagitant, & spiritus exhauriunt corpus potius præparant ad pestem recipiendam. Inter ea, quibus uti fas est, primas tenent Rhabarbarum, magis tamen aloë, sua enim amaritudine ac siccitate putredini obsistunt, siccantque corpus, quæ dotes adversus pestilentes morbos mirifice commendantur.

3. *per for-* Quibus pharmacorum usus displicet *f. n-*
ticulos. *ticulos* in brachio & crure inurere ut sensim
 omnis impuritas exitium inveniat, consul-
 tum erit. *Cibus, & potus*, qui pesti adversa-
 tur, pro ratione cuiusque naturæ, temperiei,
 loci, consuetudinis, ætatis, sexus &c. præ-
 scribendus. *Ignis* ex rebus odoratis struendus
 est, præsertim hyberno tempore, ut qui om-
 nem aëris impuritatem, & inquinamenta
 absorbere in hunc finem plurimum valet, si
 tormenta bellica, præsertim majora, versus
 eam partem, à qua malum magis imminet,
 sub vesperam & auroram frequenter explo-
 dantur: nam præterquam quod aërem vehe-
 menter agitant, sulphur & nitrum eum al-
 terandi magnam vim habent. Præterea cor-
 pus munire *antidotis* pestis naturæ accommo-
 datis,

datis, operæ prætium est, quæ corpus exficant, vias aperiunt, cor & calorem nativum corroborant, & malignitati resistunt, horum autem quotidianus usus esse debet. Ne tamen uni remedio fortè non satis idoneo ad id præstandum, quod quæritur, assuescat natura, satius est varia experiri. Denique ne fomes pestiferus vestibus sese insinuet, indeque corpus pervadat, vestimenta sulphure & pice accensis suffiendâ, res odoratæ præsertim oleum succini nodulo inclusum odorandum.

3. Vestium
suffumiga-
tione.

C U R A T I O

Febris pestilentialis.

PRIMA, & maxima indicatio curativa sumitur à virulentia pestilentiali, quæ cor caloris nativi fontem oppugnans, sæva, & terrificâ illa symptomata, invehit: hæc virulentia (post spiritualia remedia) alexipharmacis obtundenda, & per sudorifera ex corpore expellenda. Hac ratione veneno resistes, cor corroborabis, ac ne malum ulterius serpat impedies. Frequens sit horum usus, intra 24. horas ter ægro tuo quid propinabis, quod si illud evomuerit, iterum aliud repetat. Præcipua quæ hic enumerantur, sunt theriaca, mithridatium diascordium, electuar de ovo, aqua theriacalis, pulvis liberans &c. calidiora pro ratione temperamentis, ætatis, aliarumve circumstantiarum contemperanda syr. acetos. limon. granat. ribes. dum sudor elicitur, nec potu, nec cibo,

Cura ab-
solvitur.
alexiphar-
macis &
sudorife-
ris.

bo, nec aliis medicamentis actio naturæ interpellanda. Sed postquam æger sudavit, sudor abstergendus, linteamina tamen nequaquam mutanda, odor enim ille saponis, qui in recenti linteamine superest, semper noxius fuit observatus.

*non venæ-
sectione.*

Venæ sectio (nisi forsan in corpore plethorico, & quidem statim in principio, antequam vires, quarum lapsus est præceps, debilitantur) parum profuisse, imo ut plurimum nocuisse comperta fuit.

nec purgatione.

Et *purgantia* vitanda, hæc enim venenum ad interiora abripientia diaphoresin, in qua omnis curationis spes sita est, impedirent, & diarrhæam lethalem excitarent.

Diata.

Diætam quod attinet, cibo natura gravanda non est, condiatur iis, quæ malignitati resistunt, ut succo citri, arantiorum &c. vini haustus, præsertim rhenani, quod dicitur deelewijn, nequaquam denegandus. Pro ordinario potu sit cerevisia tenuis, vel aq. hordei in qua C. C. ebullierit cum pauxillo cumini. coriandr. & si æstus urgeat, addita acetosa, ros. rabr. tamarind.

C A P . XVIII.

*Gal. Actius
Avic. locis
cit.*

De carbunculo buboneque pestilenti.

*Pestilentem
febrem
comitatur.*

Pestilentium februm aliæ incomitatae sunt, aliæ malignitatis suæ atque veneni characterem quandam exhibent. Hic autem vel carbunculus est vel bubo, vel exanthemata purpurea. Hæc quidem in mitioribus sub morbi statum erumpunt toto corpore conspersa, interdum

dum cærulea vel nigra, nullo tumore extuberantia.

Carbunculus perniciem adfert majorem, *Carbunculus.*
non è certâ sede, sed indiscriminatim modo

ex illâ profiliens. Ferè autem oritur à pustulâ exili milii feminis magnitudine: interdum vero & multæ profiliunt, primum quidem pruritu, deinde rubore, ardore, doloreque vehementi. Hoc vero sensim in-
Ejus signa.
crescente pars uritur, crustosumque ulcus, quasi candente ferro inducitur, idque vel nigrum vel cinereum. Nonnunquam & à crustoso ulcere sive pustula initium sumit. Caro quæ circum ulcus est summe inflam-
Causa.
matur, nigrescente colore doloreque implacabili, quæ demum corrupta excidit.

Proximam continentemque hujus causam statuunt, crassum retorridumque sanguinem, longe ab eo diversum qui phlegmonem parit. Cœterum quod pestilens sit, populariterq; grassetur, causa est non modo putrida, sed & venenata aëris constitutio, qua dum præparatum corpus attingitur, contractæ cladis hunc quasi characterem exhibet.

Quæsitum autem per diu *febrisne ex carbunculo, an ex febre carbunculus* procedat. Quo-
Ve & febris carbunculo juncta.
niam interdum carbunculi initium multo ante tempore conspicuum, quam febris est, tametsi *Galenus* ex carbunculo febrem necessario deducit.

At certè una venenata perniciens utriusque causa est, nec tota in carbunculo, nec in febre tota inhærescens. Quamdiu enim carbunculus sine febre est, quis omne virus

in affectâ sede collocet? Licet affecta pars, extirpetur aut circumscriptione factâ virus intro subire inhibeat, non idcirco reliquum corpus in tuto fuerit. Non enim quemadmodum virulentarum bestiarum demorsu, ex ea parte pernicies inducitur, sed inquinati aëris inspiratione. Quum itaque hujus veneno cor lacebitur, si robustæ sunt vires, veneni quiddam statim in aliquam corporis summam partem disjicitur, illicque sensim incrementum sumit, partemque contaminat: altera veneni portio intus hærens, quum sensim invaluerit, febrem infert pestilentem. Sin vero imbecillæ vires erunt, incensum intus venenum febrem parit, cujus impetu veneni quiddam foras exiliens, postea carbunculum promit.

Bubo.

Ejus causa,

Similis est & de PESTILENTI BUBONE disputatio. Hic autem similem atque carbunculus ortus sui perniciem obtinet: materiam vero minus fervidam ac vere phlegmonodem, ut quæ sanatione suppurat. Insidet vero solis adenibus, nempe vel tonsillis, vel alis, vel inguinibus. De hoc nihil veterum literis proditum est, sive quod tum rarus admodum & insolens esset, sive quod in regionibus fervidis nusquam grassetur. Nunc autem, aquiloniis præsertim regionibus, in pestilentia frequens, alias cum carbunculo, alias solitarius, alias ante alias post febrem ortum habens.

Signa.

Si carbunculi comes est, illi ferè affidet, proximasque glandulas occupat: ut si in capite vel in aliquâ vicinâ parte consedit, eas quæ in collo & secus aures sunt glandulas

las invadit: si in brachiis, alas: si in cruribus, inguina. Nec tamen bubo carbunculi quasi comes est individuus, sed uterque etiam seorsim deprehenditur.

C U R A T I O

Babonum, & carbunculorum.

Bubones, ubi erumpere incipiunt, materia malignâ ad partes exteriores vergente, succurrendum mox initio, *emollientibus* & *discutientibus*. v. g. cataplasmate ex rad. althæ lilior alb. fol. rutæ, malv. sem. lini fœniogr. flor. camæmel. melilot. in vino decoctis additis gummis in aceto dissolutis cum oleo scorpionum vel Emplast. de melilotos, diachyl. cum gum.

Sub tumore *vesicatorium* ponendum, & vesiculæ discissæ diutissime apertæ servandæ.

Ubi abscessus maturari cœpit statim *aperiendus*, etiam ante perfectam maturationem. Et tunc *digestiva* imponenda, ulcusque *mundandum*, ac tandem *consolidandum*.

Carbunculi, quia maturari nequeunt, mox omni cura extrorsum evocandi, imposito, emplastro ex pice, vel fuligine, vel bufone exticcato & in vino macerato, vel emplast. diachyl. cum gum. hac ratione à reliqua carne separabitur, & excidet: *Vlcus* porro mundandum, & lente *consolidandum*, ut in bubone, emplastro diapalm. diapomphol. & interim toto curationis tempore *antidota* negligenda non sunt.

Cura bubonum absolute viter.

1. *emolli-tione.*

2. *Vesica-torio.*

3. *apertio-ne.*

4. *mundati-ione.*

5. *consoli-datione.*

Cura carbunculorū absoluitur.

1. *ejus reliqua carne separati-ione.*

2. *consoli-datione.*

Vnguen-

Unguentum ad mundandum ulcus.

℞. scordii pulverisati, myrrhæ. an. ʒ. ʒ.

Therebint. venet. mell. rosar. ungu.
Apost. an. ʒ. ʒ.

Misce fiat. f. a. unguentum.

*Variola,
morbilli.*

Finitima his sunt **EXANTHEMATA** & **ECTHYMATA**. Hæc pustulorum specie in summâ cute extuberant alba quidem, sed in ambitu rubra. Exanthemata vero maculæ sunt exiles vel rubræ, vel purpureæ, vel nigrae. Ut autem corporis summa, ita & interiora omnia viscera, musculos, nervos, cæterasque partes solidas obsident, ex hisque primam ducunt originem.

*Eorum
causa,*

Utriusque sua propriaque *causa* in aëre: qualitas quippe maligna diversi mitiorisque generis, quam quæ carbunculum bubonemque pestilentem ingenerat: proinde in infantes ac pueros, non autem in seniores, nisi ferocior immaniorque sit, invadit. Neque austrina, neque pluviosa constitutio, neque æstus, sed cæca pernicies hyeme pariter ac æstate annis quibusdam irrumpens, horum est effectrix: cum hac enim inquinamenta illa incipiunt, pariterque desinunt.

Signa.

Initium habent à febre quæ synochi speciem habet; cujus pulsus frequens, celer ac vehemens est. Membra omnia ingravescunt, somnus obrepit, caput dolet, nares stillant, oculi tument & illachrymantur, facies quasi inflammata rubescit, vox raucescit, difficilis crebraque fit respiratio. Die tertio, quarto, aut interdum quinto exanthemata ecthymatave morbi vi impulsâ prorumpunt

rumpunt nullâ crisi, nullâ febris solutione. Hæc persistit dum cita alvo scæda proluviæ exeat, aut dum absumatur tempore.

Morbi complures alij sunt pestilentes, aut consuetorum, aut insolentium numero, quorum est sua cujusque causa evidens propriaque malignitas in aëre cœlitus demissa, cujus essentia haud secus, quam ex eventu dignosci comprehendique potest. At nihilominus quoniam uniuscujusque comes est maligna perniciosaque febris ex eâ contagione profecta, quæ inspiratu cor viscus omnium nobilissimum primum attingit, jure debent omnes hoc genere pestilentis febris recenseri.

Morbi reliqui maligni cum febre huc referendi:

Quicumque vero aut epidemii, aut contagiosi, aut venenati morbi nulla comite febre nos obsident, licet occultæ cujusdam & cæcæ malignitatis sint participes, non huc tamen, sed in *particularium morborum genera* referri debent, in quorum deinceps tractatione versamur.

Ad morbos particulares qui sine febres.

PROGNOSTICA

EX Paschali. Morbilli ut plurimum 7. die; variolæ vero 14. terminantur: & quo exitus difficilior, hoc morbus longior, & gravior. An vero terminetur ad salutem vel mortem ex collatione virium cum morbi magnitudine prælagire oportet. Magnitudo morbi ex febris, & symptomatum magnitudine colligitur. Virium robur, ex facili tolerantia, & omnibus ægri actionibus: Periculo carent, quæ cito & facilè cum levi febre, sine

sine magnis symptomatibus erumpunt, maturantur, & quæ rubræ, albidæ, molles, distinctæ, & non multæ sunt; his deteriores multæ, magnæ, duræ, continuatæ, & duplices, sive ubi aliæ aliis supernascuntur. Pessimæ sunt virides, lividæ, nigræ, & quæ postquam egressæ, evanescent. Dysenteria, & dolor intestinorum variolas intestina occupare signum est. Respiratio difficilis, rufis sicca, sitis immensa, vox rauca, pulmones, partesque pectoris internas pustulis affectas esse denotant. Quod si postquam, sive morbilli, sive variolæ eruperunt, febris nihilominus perseverat, & symptomata porro infestant, viresque subinde magis debilitantur, his corruptiva sanguinis ebullitio arguitur, qualis sæpe in maligno aëris statu corporibus cacochymicis accidere consuevit.

C U R A T I O

Curatur.
 1.
E xpulsionē. **E**X *Deusingio.* Curatio dirigenda in primis ad materiam morbificam, ejusque diaphoresis, quam natura molitur, artificio promovenda est, præcavenda autem incommoda, quæ partibus quibusdam, ut oculis, faucibus, pulmonibus, &c. solent obvenire. Sique malignitas adesse deprehenditur, ea corrigenda, retundendaque alexipharmacis. Ubivis autem virium ratio habenda est. Videndum ergo ante omnia, an natura sufficienter materiam morbificam *propellat*: quod si fiat, ipsa in opere suo turbanda non est; sed cavendum potius nè intempestivo calefa-

calefacientium usu materia ferocior reddatur, ac febris intendatur; arcenda saltem impedimenta, quibus irrita redditur naturæ operatio, corpus calore ambiente fovendum, ac contra aërem frigidiorē muniendum. Quod si vel tardius, vel parcius natura materiam promoveat, eidem succurrendum, iis, quibus & spiracula, seu pori corporis aperiuntur, & materia, quæ excernenda est, fundatur, atque propellatur. Exhibenda autem pro re natâ, ea quæ sunt temperatiora, quæ calorem temperent, simulque, quæ adstrictione modica corroborent interiores partes, atque fermentationis impetum in eas vehementiorem mitigent: tum &, si sit suspicio malignitatis, quæ hanc corrigant. Conveniunt ergo ex simplicibus Rad. fœnic. torment. pimpin. myrrhid. herb. capill. ven. scabios. dictam creti. scord. cichorac. acetos. sem. fœnic. napi. card. bened. aquileg. citr. melon. item ficus cicer. rubr. lentes (quas præter rationem plurimi improbant) porro C. C. Lap. bezo. corall. margar. &c. itemque, spec. liberant. Diacord. mithrid. theriac. Arabibus, eorumque sequacibus, nec sine ratione, fructuque in usu frequenti fuit decoct. ex ficibus, lentibus, lacca, tragaranth, quibus convenienter sem. fœmit. & crocus adduntur. Hisce enim non modo diaphoresis promovetur, sed & visceribus interioribus prospicitur.

Venæsectioni locus esse potest, siquidem Non vendicantia adsint (quæ tamen vel nunquam, in sectione. vel admodum raro adesse observantur, & licet

Q

ad fue-

adfuerint, non nisi cum aegrorum pernicie, eam adhibitam fuisse experientia prob. dolor! satis docuit) ac vires ferant (quæ & ætati & aliis circumstantiis passim modum ponunt) primo secundo vel tertio die, antequam variolæ vel morbilli erumpant, quo natura parte oneris levata, reliquum facilius propellat. *A purgantibus fortioribus* toto morbi tempore abstinendum, ubi tamen alvus adstricta est, lenienti medicamento, vel clystere solvenda, quo simul immodicus fervor contemperetur, roborenturque partes interiores. In declinatione imprimis si quid noxiorum humorum in corpore redundare videatur, id blande educendum est. Quod si tamen in ipsis variolis aut morbillis laxior alvus sua sponte cum euphoria ægri evadat, ea nec subito, nec temere cohibenda est.

Nec purgatione.

2: Partium prospectione. ocelorum.

Cæterum partibus variis, tum externis, tum internis (nim: oculis, auribus, ori, faucibus, pulmonibus, intestinis) ne lædantur, prospiciendum est. Ad oculos defendendos convenit *Collyr.* ex aq. plantag. & ros. tutia præp. sief. alb. Rhaf. cum camphora & croco. *Epihema* imponatur ex aq. ros. succ. verben. album. ovi. linteolo exceptis. Si oculi ob palpebrarum humorem nequeant aperiri, imponatur herba bursa pastoris in aqua decocta, vel fomententur oculi decoct. sem. lini, fœnugræc. sem. plie. post ebullitionem ad medias in aq. simplicis. *Narbis* convenit odor aceti, vel aq. rosar. cum succ. agrestæ. vel vapor ex decoct. plantag. ros. rubr. fol. myrthi summa. rubi.

Narium.

rubi. pampin. vitis &c. vel posca ipsa, seu oxycratum in nares adductum. *Ori & faucibus* accommodandæ collutiones & gargarismi ex decoct. ros. rubr. balauft plantag. alum. usti addito diamoro dianuc. syr. viol. mell. ros. sal. prunell. puerulis palatum, & fauces linteolis bacillo circumvolutis imbutisque decoctis vel syrupis prædictis illinendæ.

Pulmonibus confert decoct. ex lentibus, ros. rub. tussilag. scabiosa, cap. papav. alb. caricib. item loch. de papav. syr. jujub. violac. diatraga: frig. diapenid. conser. rosar. rubr. vel eclegma, ex farin. fab. sem. papav. tragacanth. amylo tenuiss. tritis & syr. de hyssopo, vel jujub. exceptis. *Intestina* roborantur decocto lentium tragacanth. rad. tormentil. sem plantag. acetos. rob. ribe, syr. cydon.

Maturatio variolarum commodissime naturæ relinquitur, si tamen tardior existat, iuari potest vapore decoct. chamom. flor. malvæ ac ficuum, *fotus* ante maturationem & exsiccationem haud temere adhibendi sunt: *Pruritus* ferendus potius, quam ut scalpendo ulcera reddantur deteriora, fœdæque exinde excitentur cicatrices.

Ubi variolæ satis magnæ, & albicantes ac maturæ, non tamen aperiuntur suâ sponte, acu (argentea, vel aurea maxime commendatur) aperiendæ, ac ubi jam exsiccati cæperunt, convenienter *fotus* adhibetur ex cerevisia pingui cum butyro, vel jusculo arietino, vel *inunctio* fiat ex oleo amygd. dulc. Quod si ulcera diutius maneant, nec solidescant, convenit *inunctio* ex ung.

albo camphor , de cerussa , de litharg.
&c.

Dieta.

Dietam quod attinet, ab aëre frigido æger omni studio arcendus, nec tamen nimio æstu cruciandus, ne vires fatiscant. *Vitæ* tenuis, ut in acutis solet, ordinandus, præsertim tempore ebullitionis scilicet ad quartum usque diem, seu donec prodierint, sequenti tempore (quod in variolis est maturationis, & exsiccationis) nisi appetitus fuerit prostratus; aliquanto plenius cibare licet. Verum à cibis acribus, falsis, pinguibus (quibus ebullitio & acrimonia materiæ possit augeri) est abstinendum, & contra modice refrigerantibus, & adstringentibus, quibus internæ partes roborentur, præserventurque ab injuria, utendum est. In *potu* item moderamen servandum: Convenit autem cerevisia tenuis, vel aq. hord. cui pauxillum sem. anisi sit incoctum, cum syr. limon. gran. rob. rib. *Vni* item oligophori usus, cum pruruerunt, ac symptomata remittunt, præsertim assuetis, non plane interdicens. In *somno* & *vigiliis* mediocritas affectanda: *quieti* studendum aut lenes saltem brachiorum crurumque *frictiones* in initio instituentæ: *alvus* haud adstricta servanda, multoque, minus fluida reddenda: *pathemata* vehementiora, præsertim timor, & ira, sedulo vitanda.

De Febris petechialibus.

Hisce febribus finitima est *petechialis*, seu *peticularis*, & *lenticularis*, à maculis quibusdam per cutem hinc inde, erumpentibus, sine pruritu, sine extuberantia dicta. *Maculae* hæ variorum colorum existunt, sæpius rubræ, quandoque purpureæ, vel flavæ, vel virides, vel lividæ, vel nigræ, vel piperris colorem præ se ferunt. Unde Belgis *perperkorens* dicuntur. *Oriuntur* ex humorum peculiari *malignitate* fermentantium ad cutem propulsione; raro *critice*, ut plurimum vero *symptomatice* prodeunt, hinc rarissime ægri melius, sed ut plurimum pejùs ab earum eruptione se habent. *Meliores* sunt rubræ, *peiores* vero flavæ, ac virides, at omnium *pestifimæ*, atque ut plurimum *lethales* puniceæ, lividæ, & nigræ.

Curatur hæc febris, (si alvus adstricta, præmissis clystere, vel leni pharmaco, cavendum tamen ne excitetur diarrhæa, quæ tamen si ultro oboriatur, si non fuerit nimia, non statim cohibenda) non *venæsectione*, hac enim ratione facile venenum ad interiora revocaretur, & æger jugularetur, sed *sudoriferis* malignitati adversis, seu alexipharmacis.

De Febris Hungarica.

Non multum à febris petechiali differt *Hungarica* febris, à peculiari malignitate pendens, ejus enim videtur esse quædam species,

Petechialis.

Synonymia

Ety molo-

gia.
Signa di-

gnostica.

Ortus.

Prognosti-

ca.

Curatur hæc febris, (si alvus adstricta, præmissis clystere, vel leni pharmaco, cavendum tamen ne excitetur diarrhæa, quæ tamen si ultro oboriatur, si non fuerit nimia, non statim cohibenda) non *venæsectione*, hac enim ratione facile venenum ad interiora revocaretur, & æger jugularetur, sed *sudoriferis* malignitati adversis, seu alexipharmacis.

Non venæ-

sectione.

Sed sudori-

feris & a-

lexiphar-

macis.

Hungarica
est species
petechialis;

cies, sæpiſſime enim petechias conjunctas habet.

Signa.

Vehemens adest capitis dolor, cum anxietate, nausea, cardialgia fiti, & urgenti circa præcordia æſtu. Lingua, præ ariditate finditur. ſubſequentur deliria, quæ materia ad aures delata & ſurditatem inferente, ſolvuntur.

Prognostica.

Si vergat ad ſalutem, plerumque circa 14. diem, raro ad 20. terminatur. non raro paucorum dierum ſpacio interimit. *Solvitur* per ſudorem, quandoque ſalutaris ſupervenit alvi fluxus.

Curatur purgatione vomitu. Venæſectione.

Si adfuerit anxietas, *purgans* validius ex rhabarbaro aut agarico, vel *vomitivum* propinandum. Si vero hæc abſuerit leniens tantum pharmacum ſufficiet. Si indicantia urgeant, in principio tamen tantum *venæſectio*, locum habebit: potiſſimam ſpes in *alexipharmacis* & *ſudoriferis*. Si natura *diarhæiam* molliatur, ea non temere impedienda, nec per ſudorifera intempeſtively exhibita, ſiſtenda: ſimiliter nec vomitus imprudenter compeſcendus.

Sudoriferis

Plura de hiſce febribus vide apud *Sennerium*, *Deuſingium*. *Pafchalem*. I. P. *Lotichium* lib. 1. obſerv. cap. 7. obſerv. 15.

Ex Gal. 1. ad Glauco. 14. Actio 96. & ſeqq.

C A P. XIX.

De febrium ſymptomatis.

FEbris nulla incomitata progreditur, ſed tum ſymptomatis, tum aliis plerumque morbis ſupata.

Symptomata ſe-

Symptomata quæcunque levia ſunt, ac mitia,

tia, in signis duntaxat connumerari solent: *bris levia sunt signa.*
 quæ verosæva, ac sæpe laborantem non minus quam febris exercent, viresque nimio-
 pere, aut fatigant, aut dissolvunt, animad-
 versione, & tractatione digna sunt.

Si quid igitur præter febrem ægrotum im- *Vnde fiant*
 manius torquebit, videndum, & accurate *graviora?*
 discernendum, idne ex febre ut proprium
 ejus symptoma emergat, an ex alio morbo,
 qui feбри sit implicitus, & cujus propria fe-
 orsum sit causa.

Gravius autem symptoma addit, aut humoris situs, aut partis imbecillitas.

Quum enim febris materia non in omne corpus est æquabiliter effusa, sed in aliquam partem præcipue impegit, pro illius conditione symptomata exurgunt.

Quum etiam ante febrem pars quædam corporis, vel natura, vel humoris cujusdam, veterisve mali vitio imbecilla erat, tamen æquabilis sit corporis affectio, pars tamen jamdiu offensa, prima omnium jacturam, & incommoda per sentit: & si quod in ulla corporis parte vitium olim delituit, id protinus excitatur cum febre.

Febrium vero symptomata, quæ fere solent gravissime torquere, hæc sunt: *sitis, lingua ariditas, & scabrities, deglutiendi difficultas, gustus depravatus, cibi fastidium, nausea, vomitio, alvi profluvium, singultus, syncope, animi defectio, oppressio, æstus immodicus, corporis jactatio, & ejus velut contusio, lumborum gravitas, capitis dolor, vigilia, delirium.* In intermittente vero febre *rigor vehemens, sudor exuberans.* *Ea sunt:*

Sitis.

Sitis quidem fit interiore quidem ventriculi tunica vel ardore inarefacta, vel imbuta nitroso, & acri calidoque humore. Illa tamen potu extinguitur, hæc vero minime, etiamsi totus venter humore perfundatur, ac turgeat: sæpe enim vel ore madido gravis existit. Sola corporis æstuatio, nisi hæc interveniant, raro siti excruciat. Nam interdum corpus febrim exardescit sine siti, non quod (ut vulgo creditur) frigida destillatio ventriculum proluat, sed quod ardoris causa longius absit à ventriculo.

Lingua ariditas.

Lingua nonnunquam sine siti *arescit* in febre, perinde atque in iis, qui per sanitatem hiantem ore obdormiunt; *arescit* & ab immodico æstu, & à calido, acrique vapore in fauces, in os, & in palatum sublato.

Scabrities.

Hujus plerumque tanta vis est, ut linguam *scabritie* exasperet, nonnunquam & hanc diffindat.

Lentor.

Si crassiusculus vapor est, aut pituita è ventriculo in os redundat, aut è cerebro procumbit, crassescens ea vi caloris & obdurefcens, linguam, ac dentes plerumque & gulam totam *lentore* obducit.

Deglutitioni difficultas.

Hæ ipsæ causæ quum fauces, œsophagique introitum obsident & viam cibi, vel siccitate, vel *lentore* coangustant, *deglutitioni difficultatem* invehunt. Nunquam tamen deprehensum est his solum ex causis (quod tamen plurimum metuunt) omnino fauces præcludi.

Gustus depravatio.

Gustus depravatur quum lingua, aut os, vel bilis perfusione amarescit, vel corrupti humoris substantia, aut vapore inquinatur.

Sub

Sub hoc autem vitio integra nonnunquam est appetentia: *Cibi vero fastidium* aut febrem antecedit, aut primum ejus symptoma existit. Hujus enim causa multiplex. Nam & sola corporis perturbatio, omnis ventriculi perfusio à quovis humore qui aut ipsum quasi saturat, aut aliena qualitate apperendi vim illius consopit, & obruit; nec non corruptus vapor in os ventriculi undelibet efflatus, aut sola infensa qualitas eo se inferens, appetentiam evertit.

Nausea & vomitio causas habet, aut humorem, aut vaporem, aut qualitatem, quæ modo nimio opere relaxat, & emollit, ut pituita dulcis, modo expultricem facultatem, vel copia; vel acrimonia extimulat ut bilis genus omne, modo perniciæ facultatis ipsius robur aut infestat, aut dissolvit, ut maligna, arque pestilens febris qualitas. Quum igitur causarum aliqua, vel in ore ventriculi, vel circum tunicas ejus, tam vehementer impingitur, ac hæret, ut excuti ipsa minime possit, si exinanitus est ventriculus, nauseam solum: sin vero potu cibove confertus est cibi vomitionem movet. Quum autem causa ipsa nusquam obhæret, sed aut in ventriculo fluctuat, aut in eum aliunde confluit, humoris alias biliosi, alias pituitosi, vomitionem ciet.

Alvi profluvium, quod lienteria dicitur, nonnunquam perinde atque vomitio febris succedit, quum ventriculus, vel copia, vel acrimonia, vel malignitate humorum, vaporumve eo usque proritur, ut minime cibum amplectatur, vel conficiat. Sed &

250 SYMPTOMATIBUS.

id nonnunquam præstat immoderatus ac intempestivus frigidæ potus, præsertim ventriculo purgatione laceffito datus.

Singultus, *Singultum* vel ab inanitione, vel à repletionem fieri author est *Hippocrates*: at qui per febres acutas, easque malignas incidit, quum fere perniciosus sit, aliam causam habet, aut corrupti humoris acrimoniam, aut malignitatem, ac perniciem, qualem pestilens febris exhibet, Hæc quippe vomitionem, ac plerumque animi exolutionem, ita & dum in ventriculi tunicas altius inferitur, singultum ciet.

Animi defectus & Syncope.

Animus in febre deficit, & exolvitur modo ab ejus humoris pernicie, qui venenatam febrem infixit, modo ab æruginosa, aut præfina, aut atra bile, quæ ventriculi os, præcordiorumve membranas acriter ferit ac vellicat. Quum autem turgens hæc materia è venis in cordis arcem vel subit, vel impellitur, multo gravior obtingit exolutio, nec non syncope in primis periculosa, quum ea repente, & affatim irruerit. Exolutionem etiam plerumque infert symptomatum, quæ febribus assistunt, sævitia, ut vigiliæ, dolor, timor, immodica, & repente facta quævis vacuatio, itemque victus tenuis, atque parvus. Quæ hæctenus protuli, fere quidem ventriculi aut præcordiorum offensione emergunt, quum vel bilis acerrima, vel alius quivis putrescens, aut venenatus humor in eas sedes vehementius irruit, aut eo de se tetrum vaporem effundit. Quæ autem non ex his causis profecta sunt, ex alio quodam peculiari morbo ducunt originem.

Oppressio

Oppressio quæ pene suffocat, laborantem-
que huc illuc agitat, & impellit, fit interdum ab ardore bilis prassinæ, vel æruginosæ, quæ circum cor, ut in causo, exæstuat; interdum ab ejus humoris copia, qui in præcordiis, aut in visceribus firmatus, ac per febrem impulsus ventriculum, atque diaphragma premit. Posterior hæc non minus in intermittente febre, quam in continuâ frequens, cui fere comes est præcordiorum distentio, atque in contactu, pressuque dolor. Est porro gravissima oppressio, quum vel jecur, vel lienem phlegmone exercet.

Huic affinis est *spirandi difficultas*, non parvi in morbis acutis momenti. Ea præcordiorum oppressionem sæpe consequitur, nonnunquam cordis, & pulmonum æstum, quum ut in causo bilis, atque putredo circum eas sedes incenditur, aut quum turgens in venis materia, impetu profiliens eo procumbit. *Delirantibus*, quorum sensus alio distrahitur, rara, & alta; iis vero qui jam morti proximi sunt, alta, crebra, difficilisque fit respiratio, sed non tam vehementia æstus, quam insiti caloris penuria, & virium languore. Quæ vero vel à destillatione, vel ab alia quavis causa processit, minima debet in febrium symptomatis recenseri.

Lumborum dolor, atque gravitas tum maxime fit, quum peccantis materiæ pondus in unam cavam, aut in majorem lumborum arteriam plerumque illabatur.

Ea si pariter vehementius incenditur, renum lumborumque suscitatur *ardores*.

At vero quum ejus portio in tenues venas, quæ

*Lassitudo
& artuum
dolor.*

quæ per summa sunt corporis, atque etiam in musculos excurrit, *lassitudines*, membro- rum gravitates, *artuumque dolores* excruciant, quos imperitum vulgus catharro refert acceptos.

*Corporis
jactatio,*

His ex causis, maxime vero ex oppressio- ne, ex lumborum, artuumque dolore, atque ex aestu, magna incidit *corporis jactatio*, qua id subinde modo in alterutrum latus, modo in pedes inquietum devolvitur. Quum vero neque à dolore, neque ab his causis impel- lentibus corpus perturbatione jactatur, vel morbi materiam in venis turgere, & huc, illucque ferri, vel cæca malignitate cor, ut in pestilente febre, obsidere putandum.

*Capitis do-
lor ante-
rior.*

Capitis dolor in febre subjectarum partium, maximeque præcordiorum consensu fit, in quibus exæstuans humor multum de se va- porem in caput per medias quasque regio- nes (est enim corpus omnino perspirabile) emittit. Hic vero meninges & pericranium, vel calore, & acrimonia feriens, vel copia distrahens, dolorem parit. Nonnunquam & è venis, arteriisque majoribus sursum im- pulsus tenuior sanguis temporum pulsantem facit dolorem. Omnis autem ex febre ge- nitus dolor, aut tempora, aut frontem, aut omnino priorem *capitis regionem* adori- tur.

Posterior.

Qui vero aut *in occipitio*, aut in vertice, aut circum aures figitur, etiamsi cum febre excandescat, peculiarem causam habet in capite, neque symptoma est febris. Sæpe enim hisce locis vetus dolor, quasi sopitus, atque conquiescens humore irritato exasp-
ratur

ratur cum febre, quemadmodum & humor omnis circum membranas, & articulos præternaturam obhærens, si tacitus erat, vini meracioris liberaliore potu suscitatur, doloremque ciet.

Vigilias inferunt causæ omnes, quæ somnum & quietem interpellant: dolor, æstus, oppressio, sitis, & quæcunque nimium infestæ sunt, & laboranti graves. Plerunque etiamsi ne istæ quidem molestæ sint, somnus tamen nullus obrepere potest. Id fere obtingit, quum calidus, acerque vapor cerebri substantiam magis, quam meninges ferit, eamque exiccat, & calfacit, spiritusque supra modum attenuat, & varie dispergit. Id ipsum quoque citra magnum ardorem evenire compertum est, quoties perniciofa qualitate cor obteritur. Somni modus diligenter observandus. Nam in acutis morbis consopiti laborantes, quum expergiscuntur, plerunque nec meminerunt, nec se dormivisse putant.

Posteriores hæ causæ si vehementiores occurrunt, aut si fervida bilis in cerebrum obrepit, idque urinis factis interdum purioribus, mens conturbatur, & portentosa rerum simulachra sensibus, & menti sese obiectant, quibus continuo succedit *delirium*, ipsaque mentis alienatio, cujus varias posthac species exponemus. Majoris autem terrôris, quam periculi est delirium, quod sæpe nullo vitæ discrimine hominem abducatur ab usu rationis.

Quum jam perseverante delirio cerebrum gravius offenditur, *nervorum* accidit *subsultus*, quo

Vigilia.

Deliria.

5. Puerbos.

Nervorum subfultus. quo non nervi modo, sed & artus ipsi præfertim manus, ac brachia saltu quodam à tremore diverso invitis jaçantur: is quidem portendit perniciem fere portendit.

portendit perniciem. Præsentitur autem impendens delirium, aut importuna loquacitate, aut immoderatior gestu, aut gravis effrenata laborantis impudentia.

Sopor. Fere autem, quum is humor deferbuerit, represso delirio quavis profundusque *sopor* obrepit.

Rigor horrorus. *Rigor horrore* quamquam intermittentium febrium est proprius, nonnunquam tamen modum excedit. Ex his autem causis prodit, quas superiori oratione complexi. Qui in continua febre interdum apparet, aut commutationis, aut solutionis est index.

Sudor. *Sudor* non modo febrium intermittentium, sed & continuarum, & aliorum quorundam morborum est communis. Hujus materia est humor, vel copia vel qualitate gravis, per cutis spiracula manifeste affatimque profiliens. Hinc vero, quod calidus sit, aut frigidus, mitis, aut acer, tenuis crassus atque viscosus, foetidus aut suavis, humoris qui hunc protulit genus exprimitur. Erumpit sudor aut naturæ vi, quiddam supervacaneum robore expellentis, aut sponte proprioque impetu. Illum naturalem, hunc symptomaticum appellant. Qui decedente febris intermittens accessione profluit uberius, & qui in continuarum febrium crisi emanat, naturalis est: præter naturam vero, & symptomaticus, qui quovis modo aliter morbi tempore profilit. Hic fere

fere primum incipit à capite , ac deinde è reliquis etiam partibus sensim emanat. Solum enim utilis , & secundum naturam is habendus est , qui expurgatæ alvo succedit , quique jam vacuata crassiore morbi materia , reliquam tenuem per corporis summa dissipat. Qui vero vel morbi initio , vel quovis alio tempore , vel ante concoctionem , vel ante crisin exierit , irritus est atque symptomaticus , & cui nulla morbi fida solutio committi potest. Qui in syncope , & in virium exolutione sive calidus sive frigidus emergit , non sudor , sed proprie mador appellatur.

Hæc præcipua sunt febrium symptomata. Ex quorum specie , atque sævitia intelligi potest , in quam præsertim partem continens febris materia incumbat , aut quæ pars corporis vel imbecilla , vel humoris vitio gravata ante febrem fuerit .

Sic omnis comprehensa sit tractatio noscendarum febrium. A qua in eam me conferam , quæ de morbis est partium singularum.

SYMPTOMATUM

Qua per febres affligunt Remedia.

Sitis , quam linguæ , faucium , & interioris œsophagi , atque ventriculi tunicæ calor , & ariditas parit , quæ vera sitis est , & ut plurimum vigente aestu agro molesta est , *extinguenda* tenuioris cerevitiæ , in qua aliquid salis prunellæ dissolutum est , liberaliter haustu , vel decoct. ex hord. mund. uvis passis ,

*Remedium
sitis veræ*

passis, tamarind. sem. 4. frigid. maj. & minor. sem. anif. fœnic. glycyrrif. cum syr. de acrod. citri. vel julapiis refrigerantibus ex aq. stillatitiis plantag. rosar. &c. quibus spiritus vitrioli vel olei sulphuris tantum addendum, quantum ad gratam aciditatem sufficit. *Falli* etiam potest lamellis citrii, vel aurantij in aqua rosacea maceratis. Cum saccharo cando ore retentis, vel oxalide mansa. Si vero fitis à nitroso, falso, & acri humore, vel vapore tunicas illas obsidente orta fuerit, quæ fitis *falax*, seu *falsa* dicitur, abstinencia, vel etiam calefacientibus & siccantibus ut spir. vitrioli, vel oleo sulphur compescitur.

falsæ.

*Ariditatis
scabritiei,
depravati
gustus &c.*

Ariditas, scabrities, & nigrities linguæ, degluticndi difficultas, nec non depravatus gustus, tolluntur primum penicillo ex melle rosato: quod si non satis respondeat, penicillus aq. rosatæ intingendus est, in cujus uncia aluminis drachina & sacchari candi semuncia sit soluta. Conveniet, & sæpius os colluere aq. horde. tepida, vel. aq. decoct. rapar. vel sero lactis vel aq. simpl. cui parum aceti sambuc. & olei sulphur. est affusum. *Quin* etiam sordes furcula quadam, vel cochleari abradendæ.

cibi fastidium.

In nimio *cibi fastidio* sæpius gratificandum est ægro, natura enim sæpius ea, quæ secundum rationem deteriora sunt, appetens, necessitati propriæ consulit, causæque morbi per proprium instinctum adversatur. Notandus ergo hic est *aphorismus* 38. sect. 2. ubi Hippocrates inquit, *cibus & potus paulo deterior, hoc est qui minus cum morbo pugnat,*

gnat, minusque naturæ est consentaneus) suavior tamen, melioribus quidem, sed insuavioribus est anteposendus. Nec non Aphorismus 50. sect. 2. ubi dicit, *Quin etiam quarum rerum inveteravit consuetudo, quamvis deteriores sint illæ, minus tamen insuetis male afficiunt. Est itaque assuetorum usus suscipiendus.*

Si vomitus ob copiam alimentorum assumptorum, vel vitiosorum oriatur, is illico compescendus non est; si ab infecta & irritante vitiosorum humorum qualitate *nausea*, vel vomitus accidat, vomitorio leni ante paroxyssimum vomitio potius promovenda. conveniet aq. tep. cui nonnihil salis admixtum, vel oxymell. vel haustulus vini aut aq. & acer. in quo cort. rad. juglan. per noctem sunt macerati. Si maligna qualitas vomitum exeitet, ut in febribus pestilentialibus, antidotis utendum. Si vomitus exhibitio vomitorio non sistitur dabis purgans, si æger purgari non sustineat, in quiete, inedia, ac somno continendus, Imponi poterit ventriculo sacculus ex menth. absinth. nuc musch. cariophyl. post ebullitionem in vino factam. Vel emplast ex crusta panis, vel inunction. ex oleo mastich. myrtin. cydon. menth. absinthii. vel admoveatur cucurbitula medix inter os ventriculi & umbilicum regioni.

In alvi fluxu convenit lenis clyster, aut rhabarbarum ustulatum, hinc dabis *adstringentia*, convenit emulsio ex amygd. sem. frig. maj. lact. papav. alb. cum aqua chalybeata. panis sit cerevisia non nimis recens, in qua macerata sit lamina panis tosti, cum nuc. musch.

R.

Pulvis

Nausea
veritatis.Alvi pro-
fluvij.

Pulvis adstictorius pareretur ex rad. torment. nuc. musc. uftul. an. p. ij. corall. rubr. præp. p. j. mastich. p. ʒ. cujus media drachma cum vino, vel aq. plantag. cum saccharo perlato propinetur, ac pro rei indigentia repetatur. Vel propinetur theriaca cum grano j. vel ij. laudan. opiatu ex aq. plantag. & card. bened. Foras inungatur oleo mastich. myrtin &c. abdomen. Si fluxus alvi fuerit *lientericus* corroborantia & adstringentia tantum convenient.

Lienteria.

Singultus.

In *singultu* ab irritante vitiosorum humorum, halituumve qualitate orto, vomitoria, vel purgantia ante omnia danda. in febris malignis alexipharmacis utendum; convenit etiam in singultu emplastr. ex crusta panis. Vel admoveatur ventriculo spongia vino austero calente imbuta, convenit & sem. anethi & foeniculi in nodulo in cerevisia pendens, cui addi potest C. C. ustum, corall. rubr. sem. papav. albi. *Sternutatio* itidem à singultu liberat, ut testatur Hippocrates aphor. 13. sect. 6. materia enim quæ ventriculi tunicis se insinuavit, vehementi illa concussione excutitur.

Syncope
& *animi*
deliquii.

In *syncope*, atque *animi deliquio*, exhibebis aq. cinnamo & naribus admovebis acetum rosaceum, insperges faciei aquam, vel acetum, malignitas si ad fuerit, ea *antidotis*, & *sudoriferis* expugnanda. Dabis & panem intinctum succo citrii aut uvæ acerbæ.

Oppressionis
& *anxietatis.*

Oppressio live *anxietas* curatur sæpius vomitu, iponte exorto, vel etiam arte excitato. Profunt guttæ olei carvi, cumin. foenic. anisi, vel angelicæ cum aliquot cochlearibus

vini calentis, malignitas per alexipharmaca retundenda, danda & sudorifera quæ hic multum profunt. Si respirandi difficultas adfuerit, convenit post paroxysmum rad. zedoar. masticare, vel aq. juniperi cum saccharo concremata cochlear unum vel alterum assumere, Foris inungenda præcordia oleo menthæ, & anethino.

*Respirandi
difficultas.*

In immodico aestu convenit corpus modico-riter tegere, frigidum aerem admittere, sudorem prolicere, potus refrigerans, scil. cerevisia tenuis aq. horde. ser. lact. julapia ex aq. card. bened. cichor. rosar. plantag. syr. limon. è succ. citri, gran. viol. Emulsio. Epithema cordi, hepatis, ac carpis manuum imponatur. plantis pedum cataplasma admoveatur ex ferment. rad. raphan. chelidon. majoran. ruta, matric. sal. acet.

*Aestus im-
modici.*

Hiscæ etiam, quibus aestui immodico, & anxietati succurrimus, præfidiis succurritur, cum febricitans, citra manifestam occasionem, huc illic immodica jactatione sese devolvit. At si forte jactationis causa fuerit lumborum artuumque dolor, is discussione materię musculos habitumque corporis obsidentis per sudorifera exhibita demoliendus, si turgens fuerit materia, ea rite evacuanda.

Jactationis

Omnis ex febribus obortus capitis dolor, vel tempora, vel frontem, vel omnino synciput occupat, qui vero vel in vertice, vel circa aures, vel in occipite consistit, licet cum febre excandescat, peculiarem in capite causam agnoscit. Curatio perfecta peragi non potest nisi causa evaporationum

*Doloris ca-
pitis.*

sublata. Sedat capitis dolorem, rosa, viola, nymphæa, lactuca, plantago, sempervivum, & alia quælibet herba ex refrigerantibus rufa, & aceto fronti temporibusque inducta, & quæ ex his extant olea, tum unguenta, cujusmodi est, quod *populeum* appellant. fiat etiam Epirhema ex aq. ros. aq. flor. samb, acet. ros. succ. semperv. & album. ovi, quæ conquassata, & linteolis duplicatis excepta, futuræ coronali applicentur. Plantis pedum admoveatur cataplasma, ex sem. rad. raphan. &c. quod supra contra æstum fuit præscriptum *julapia* refrigerantia crebrius sumpta valde etiam prosunt, speciatim ex syr. violar. cum aq. cichorii confecta.

*Vigiliarum
& delirii.*

Si *vigilie*, aut delirium moleste exercet, his adjici poterunt hyosciami, papaveris, & mandragoræ folia, vel semen, quæ & ipso odoratu quoque non parum juvant. Ex his lotiones, unctiones, cataplasmata, non fronti modo, & temporibus, sed syncipiti quoque tuto admoventur: si neque capitis gravitas, neque destillatio, neque tussis dehortatur. Si nimia metuitur refrigeratio, permisceantur his serpillum, anethum, & ruta, quibus etiam ad vigiliæ, & deliria non parva vis est. Conciliatur etiã somnus Emulsionem sem. 4. frig. maj. lact. papav. albi cum aq. lactucæ, vel hordæi parata. vel fiat *linimentum* ex ung. popul. cujus drachmæ uni opii medius scrup. in acet. ros. fuerit admixtus, hoc frons, tempora, & ipsæ nares oblinendæ. Si extremum malum est exhibendi pill. de cynogloss: scrup. ij, laudan.

opiat

opiati gr. iij. aut ad summum iv. aut philonii
Romani drachma integra.

Hæmorrhagia si fuerit *critica* sistenda non est,
nisi cum plane immoderata evadit, viresque
prosternit, si vero fuerit *symptomatica*, dum
vires adhuc persistunt, nec illico cohibenda,
sin contra, celerrime supprimenda. Si-
stitur per ea quæ vim refrigerandi & den-
sandi habent qualia sunt *julapia* ex aq. ros.
plantag. portulac. syr. cydon. mytill. violar.
papav. vel *pulveres* ex rad. tormen. lap. hæ-
mat. corall. rubr. p. trochisc. de carabe vel
imponantur fronti lintea madefacta in aq.
ros. acet. album. ovi, insperfo pulv. thur.
& bol. armen. in ore contineatur aqua frigi-
dissima. *Naribus inseratur* lanugo, in capiti-
bus cardui benedicti reperta, convoluta.
Auricularis digitus vinculo arctissime con-
stringatur. Hypochondrio *ædiæ* cucur-
bita sine sacraficatione admoveatur.

Solet etiam sæpius, ubi delirium seda-
tum est *somnus profundus*, seu *gravis sopor*
febricitantibus obrepere, à crassis vapo-
ribus, ac narcoticam quandoque qualitatem
habentibus ad cerebrum elevatis. Convenit
hic castorium in nodulo colligatum atque
in aceto maceratum naribusque admotum;
vel succo rad. fœniculi narès oblinendæ, ca-
putque linteis calefactis fricandum.

Rigor continuæ febrî superveniens, quod
eam plerumque solvat, in malis non est,
nec ullâ ratione cohibendus, si eum præset-
tim sudor excipiat. *Frigus* autem, *horror*,
aut *rigor* intermittentium invasionibus si ve-
hementius fatiget, corpulse concutiat, le-

*Hæmorrha-
gia navi-
um.*

Soporis.

*Rigoris &
horroris.*

*Fern. meth.
cur. feb.
c. 12.*

uiri ruto potest. *Primum* autem sub expe-
ctatione accessionis mature *vestibus* multis
operiendus est æger, & omni portione, in-
quit Fernelius, prohibendus: summis
partibus, viis quæ plurimum inalgeſcant,
adhibenda *fomenta calida*, atque sicca, ut
lapides candentes, aut titiones extincti,
lagenæ aqua calida repletæ: simul quoque
obvolutus laborans spiritum diu continere
debet. Si nihilominus horror, rigore
prorumpat inter vestimenta extremæ partes
perfricandæ sunt oleo chamem. calefacto,
vel liliaceo, vel anethino, vel rutaceo;
vel unguento, quod ex his, & ex pulvere
piperis, cardamomi pyrethrive conficitur.
Si unctionum gravis est usus, ea ipsa, in
aqua vitæ maceranda sunt, qua deinde ex-
pressa rigentes partes perfundentur.

*Non balne-
um.*

Nonnulli vehementioris rigoris initio,
eum qui conflictatur in *balneum* deducunt,
in quo etiam calidiores herbæ incōctæ fue-
rint. At certe ne quid in eo peccetur, neve
calor acrius invalescat, commodissimum
fit ventriculum atque præcordia *fovere*,
fervesfacto jure calidarum stirpium, ut men-
thæ, absinthii, salviæ, rutæ, origani,
chamemeli, anethi, cum anisi, & fœniculi
semine, cui etiam vini albi paulum sit ad-
jectum: concalsacta enim febris origine,
horror sæpe discutitur, simulque melior fit
præcordiorum status.

*Sed fotus
ventriculi.*

Vomitio.

Quum quis ex horrore, jam incalescere
cœpit, si (ut fere fit) *nauseabundus* est data
aqua tepida, interdum subsalsa, vomere co-
gendus est, vel nulla data, vel hydrelæo,

vel

vel si tenacior humor est; fyr. acetoso; aut oxymel; tum simpl. tum stillatio; aqua hordei tepida diluto. Quin etiam qui sponte evomuit; horum ope iterum vomere cogendus est; ut proritans intus materia radicitus extirpetur: quæ si multa tenaciorque existit; vehementiora etiam postulat. Nam ut circumspicte *Celsus* ante nos animadvertit; *febris talis horror ab his oritur; quæ biliosa in stomacho resederunt.* *Celsus lib. 3. cap. 12.*

Si per hæc vomitio proritari nequit; *Inhibitio* per tritum drachmæ unius pondo; ex aq. calida; ante accessionem porum horrorem inhibebit; sed efficacius pilulæ; quæ habent; rad. aristol. rot. scrup. ij. myrrhæ selectæ; piperis ana scrup. fem. ex absinth. fyr. concinnatæ. Sæpe etiam; per quartanam maxime; omnia tum externa; tum interiora corporis; usque adeo perfrigerata sunt; ut in ipso horrore; aut vinum generosum; meracum; & calefactum; aut aromatis; aut calidiora quædam; ut theriacam aq. juniper. stillat. offerre cogamur.

Sudor optimus; tenuis; repidus; calidusve minime foetidus; facile; ac citra laborem universum è corpore toto dimanans; qui sitim; ardoremque compescit; & intermittentis febris accessionem integrè finit; aut continuæ acrimoniam remittit; qualis fere est; qui decretorio die supervenit. Is vero quoad vires permittunt; tolerandus est; atque etiam; si parcius erumpit proliciendus.

Si vero immoderatiore corpus diffluit; &

exolvitur, coërceri debet, tum corporis refrigeratione: interdum profusione ex oxycrato, aut omphacio, aut ex aqua, in qua incoctæ sunt rosæ, cytini, balauftia, mallicorium, myrri salicisque folia, gallæ, & cupressi glandes: interdum unctioe ex oleo rosato, myrtino, mastichino aut melino, in quibus (si necessitas postulat) succinum tritum, aut gummi, aut ceræ exiguum solutum est, ut emplastica vi cutis spiracula tenacius infarciat.

At vero sudor *crassus*, glutinosus, frigidus, ac foetidus, ægre, nec ex toto corpore erumpens, initio quidem non omnino malus, sæpe enim qui ejusmodi primus vel è capite, vel ex alia parte manat, postea melior ex universo corpore evadit. Talis autem diu ac multum perseverans, omnino malus: nam cum virium robore impuritatem summam, & morbi longitudinem: cum imbecillitate, extinctionem fere denunciat. Sudorem malum nunquam provoces, sæpe cohibeas, ac tum præcipue purgando corpori sustinendisque viribus operam navato.

Si qua *alia symptomata* præter febris conditionem obrepunt, ut *lienteria*, ex frigiditate, & immodico potu, ut *tussis* ex refrigerato pectore, ut ex nudato capite *destillatio*, propriis ea tollantur remediis, sed quæ tamen aut nihil, aut minimum curandæ febri obsunt, & hanc, quoad fieri potest, leniant.

No sequentes pagine vacuae forent,
placuit subicere

DISPUTATIONEM

De

FEBRIBUS.

In genere.

QUAM,

Resp. ARNOLDO SGHILDIO
Zwollano.

Ventilandam proposui 13. Decemb. 1654.



Or, principem corporis nostrī
partem ; vitæ fontem, Spiri-
tuum vitalium elaboratorium,
primum & ultimum vivens, &
moriens, omnis generis mor-
bi, & affectus p. n. obsident,

se: intemperies, tumores, ulcera, vulnera; Hinc
quoque varia nascuntur symptomata, præci-
puum & frequentissimum est febris. Quia ve-
ro inter Medicos de febrium essentia, & cau-
sis ab omni fere ævo existit, & adhuc ex-
istit non exigua controversia operæ pretium
putamus, si & nos nobilem hanc de febrī-
bus materiam ingenij exercendi causa, pu-
blico examini subiciamus.

Febris.

2. Febrī à fervore, vel ab antiquo februo
dicta, Græcis πυρετός, & Sæni nostro πυρ à
maxime

Etymologia.

R S

Synonymia.

maxime ut plurimum urgente symptomate dicitur. Antiquioribus Belgis dicebatur *saeghe* / vel à metu qui ut plurimum febricitantibus adest, vel à crebra & anhelante respiratione, qualis in lignum ferro secantibus observatur, quæ febrilibus paroxysmis valde familiaris est. Hollandis dicitur *Koorsche* à *Kooren* / h. e. nauseare, sæpius enim in principijs paroxysmorum nausea & vomitus adest. Nostratibus vero vocatur *Die Kold* à frigore & rigore, sæpius febrim præsertim intermittenti conjuncto.

Definitio.

3. *Definitur*, calor p. n. è corde per arterias cum sanguine & Spiritu in corpus effusus.

Quid calor febrilis?

4. Ratio formalis, & essentia febris est calor p. n. hoc enim posito ponitur, & sublato tollitur febris. Hic calor p. n. adversatur naturali, febrilis enim calor naturali vel est major, vel minor, semper tamen vitiosus, morbificus & ob sibi adjunctam quandam acrimoniam natura infestus. Unde omnes, tam naturales & animales, quam vitales functiones interpellantur, & sæpissime mors sequitur.

Rigor, & horror sunt partes febris.

5. Rigor itaque horrore intermittenti-um febrim, & per febrem exitialem partium extremarum frigus, non minus febris est essentia, quam intensus ille, & sudorem excitans calor; est enim calor p. n. incensus in corde, sed naturali minor: ita ut recte quædam febres, & febrilia paroxysmorum quædam partes, frigida appellari possint. *Dissent. Fernellius.*

Calor igitur febrilis

6. Vulgo febris essentia in exuperante calore, si non foris, saltim intus corpori molesto

molesto ponitur, ne vero hoc credamus varia se nobis offerunt indicia: sic 1. in corporibus biliosis, foeminis menstruatīs, maniacis satis est intensus calor, nulla tamen febris 2. in viva anatome integrum cor pro modo caloris, nec pulsus accelerat, nec retardat 3. in proxymorum intermittentium februm initiis, ut plurimum rigor & frigus est, nullus calor, nec externus, ut per se patet, nec internus, ægri enim tum de nullo calore conqueruntur; nec si is ipsi est molesta: initium tamen paroxysmorum febriliū non minus est febris; nam & pulsus celeritas adest, quàm eorum status, aut declinatio.

7. Calor hic p. n. ut febrem constituat, *constans*, & ad aliquod tempus permanere debet, nam si quis vel æstu, vel balneis, vel motu, seipso calidior factus fuerit & calorem p. n. sibi consciverit, talem febricitare non dicimus, quoniam hic calor, licet excessu peccet non diu durat, sed accedente quiete, brevi transit. Nec ut per *omne corpus* æqualiter effusus sit, necessarium est, sæpius enim observatum fuit, febricitantium caput valde incaluisse, pedes vero aluisse, & contra.

8. Nec est id perpetuum, quod definit *Avicenna* (ut optime expertissimus & doctissimus *Fernelius* observavit) omnis febris calorem in corde accendi, sæpius enim, non tantum intermittentium, & symptomaticarum (ut *Fernelio* tantum placet) sed etiam continuarum & primariarum februm focus in loco quodam extravasato, v. g. in primæ regionis

non est sola
coloris ex-
superantis.

Debet esse
constans.

Nec tamen
per omne
corpus æ-
qualiter
diffusus.

Ejus focus
non est cor-
tantum,
sed & aliæ
partes.

regionis visceribus, ex cadaverum febris continua demortuorum sectione, repertus fuit.

*Defertur
ejus mate-
ria ad cor,
non suo va-
pore,
Sed sua
substantia.* 9. Ex foco suo extravasato, materia febrilis ad cor defertur, non suo vapore per cœcos ductus, ut vulgus sibi imaginatur; nam in dolore colico, ut etiam in uteri suffocatione satis magna vaporum & flatuum copia, nulla tamen febris adest; sed per calorem vicinarum partium fermentans, rarior fit, & quasi efferatur, unde in vasa regurgitans, sanguinique vel spiritui permixta cor illabatur, illique molesta est, qua molestia persistente & febrilis paroxysmus persistit, & durat.

*Calor red-
ditur p. n.
vel ex su-
perantia,
vel putre-
dine, vel
malignita-
te.* 10. Calor in nobis p. n. redditur, vel solo incremento nature, & temperiei limites excedente, vel illuvie putrida, vel venenata, maligna pestilentialique inspiratione. Atque hinc febris vel est *simplex*, vel *putrida*, vel *maligna*.

*Signis pæ-
thognome-
micum est
pulsus ce-
ler.* 11. Proprium, reciprocum, ac pathognomicum febris *signum*, quoposito febre m adesse, quo sublato, abesse putamus est *pulsus celeritas*. Hæc enim est formale effectum febris. Sola itaque pulsus celeritas febris præsentiam indicat, si modo frequenter redeat, aut una vice ad 24. horas constanter extendatur. Etenim si vel cursu, vel motu corporis pulsus acceleretur, & mox agitatione sedata, retardetur, pulsus hic febre non indicat: in validis pulsus fit seminota Musica, seu quarta tactus Musici parte celerior.

*Qui oritur
non ex no-* 12. Oritur hic pulsus celerior, non ut vulgo volunt, ob refrigerij necessitatem, sæpius

pius enim tantus calor non adest: sic cor in viva sectione undiquaque aëri frigidiori expositum celerrime movetur; sed est calor p. n. qui cordi molestus, illius facultatem pulificam ad ejus, quod molestiam creat, expulsionem incitat. Sic cor, in quo nullus est sanguis ex vivo animali exsectum, si acupungatur, quia hæc punctura ipsi molesta est, sese movet & contrahit.

13. Qualitas illa cordi molestiam creans, subjectatur, vel in spiritu, vel in humore. Nec obstat febris hectica, quæ in cordis parte solida subsistere creditur, sed falso, est enim hæc vel primaria, & consistit in massa sanguinea, vel secundaria & symptomatice, & consistit in parte corrupta, quæ continuo ex sese humorem corruptum in venas eructat, qui sanguineæ massæ permixtus, eam ad corpus nutriendum ineptam reddit, febremque excitat.

14. Spiritus hic tantum vitalis est, & non animalis, hic enim non amplius est in corde, sed in cerebro, & nervoso genere. Humor vero potest esse omnis generis, & biliosus, & sanguineus, & pituitosus, & melancholicus, & serosus, tam alimentarius, quam excrementitius. Hic Spiritus, & hic humor per illam qualitatem p. n. etiam p. n. constituitur, non quidem totus, sufficit aliqua pars ejus, quæ ad cor accedens, febrem excitat, febrisque tam diu durat, dum omne illud, quod p. n. redditum, dissipatum sit, & est febricitans tam diu a febre immunis, quod tempus a^{ruptio} dicitur donec nova materia cor ingediatur.

cessitate
refrigerii
sed materia

Quæ vel est
in spiritu,
vel in hu-
more. obje-
ctioni satis-
fit.

Spiritus est
vitalis,
Humor om-
nis generis.

Quid a^{ruptio}
est

Febriam in
varias spe-
cies divisio

1. maligna

& mali-
gnitatis ex
pers

2. simplex

& compo-
sita.

Continens

hectica,

ephemera

& Syno-

chs perio-

dior.

Continua.

Intermit-
tens.

15. Febris vel est *primaria* quæ per se pri-
mo ægrum affligit, vel *symptomata*, quæ
alterius cujuscumque morbi occasione homi-
nem invadit. Utraque *primo* vel maligna
& pestilens, vel non pestilens est, omni-
que malignitatis expers. *Secundo* vel est *sim-*
plex, vel *composita*. *Simplex* vel est *conti-*
nens, quæ assiduo fatigat, nulla excandescen-
tia, nullaque intermissione dum integre
soluta sit. Vel *periodica*, quæ per certâ inter-
valla affligit. & hæc vel est *intermittens*, vel
continua. *Continens* vel est sine putredine, vel
cum putredine; quæ est *sine putredine* vel est
cum tabe, seu extenuatione partium, &
dicitur *hectica*, vel *citra illam*, & hæc vel
est *Ephemera*, vel *sanguinea*, & dicitur *Syno-*
chus; quæ est cum putredine, dicitur *Syno-*
chus putrida.

16. *Continua* febris, Fernelio *conclusa* di-
cta, continuo ægrum afficit, sine ulla inter-
missione, remittit vero & excandescit, &
hæc vel est *quotidiana*, vel *tertiana*, vel *quar-*
tana, eo quod vel quotidie, vel alternis,
vel singulis quartis diebus excandescat. *Inter-*
mittentis febris etiam tres famosæ enun-
rantur species, scil. *quotidiana*, *tertiana*
& *quartana*. An præter has & aliæ dentur
scil. *quintana*, *sextana* &c. dubitant non
nulli, sed frustra, eas enim dari experientia
comprobat, varias profert *Forestus obs.*
lib. 3. de febr. interm. obs. r. 43. eas & *Hippoc-*
rates agnovit. *i. Epid. sect. 3.* has omnes *Fer-*
nelius ad *quartanas* nothas referendas putat,
non motus, scil. sed materiae ratione.

17. *Composita* febris bifariam dicitur, vel
quod

quod ex multis confusis, vel quod ex multis implicitis constet. *Confusæ* febres non ex uno sed ex pluribus humoribus uno in loco confusis oriuntur. Hæ simul incipiunt, simulque desinunt, utriusque signa exhibent. Tales sunt febres *nothæ dictæ*.

*Composita
confusa
seu nothæ.*

18. *Implicitæ* febres sunt, quæ diversis horis incipiunt, diversisque desinunt, fiunt ex diversis humoribus non eodem loco positus: tales sunt febres duplices triplices, & intermittens, atque hæ febres non una, sed multæ sunt.

Implicitæ.

19. *Febris curationem* quod attinet generalem, quia est calor p. n. ejus ablationem indicat, sed quia hæc intemperies æpissime non nuda est, sed materiam sibi habet conjunctam, & ejus ratio habenda. Curatio itaque à causæ sublatione inchoanda, diætâ febri contraria, imperanda, materia peccans auferenda, obstructæ partes liberandæ, oppressæ roborandæ, intemperies contrario remediorum usu corrigenda. Hæc omnia pro febrium diversitate diversa sunt & esse debent, de quibus in singularum febrium historiarum explicatione extius.

Febris curationem.

F I N I S.

*Qua lectorem in textu Fernellii remorari pos-
sent, sic corriges.*

PAg. 104. lin. 35. leg. colore. Pag. 127.
lin. 13. leg. fibris. pag. 170. lin. 29. leg.
in aliis. pag. 235. lin. 4. l. modo ex hac
modo ex illa. pag. 254. 10. leg. gravis. Re-
liqua æquus lector facile emendabit.

F I N I S

10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20
21
22
23
24
25
26
27
28
29
30
31
32
33
34
35
36
37
38
39
40
41
42
43
44
45
46
47
48
49
50
51
52
53
54
55
56
57
58
59
60
61
62
63
64
65
66
67
68
69
70
71
72
73
74
75
76
77
78
79
80
81
82
83
84
85
86
87
88
89
90
91
92
93
94
95
96
97
98
99
100

of-

21.

eg-

hac

Re-

101
102
103
104
105
106
107
108
109
110
111
112
113
114
115
116
117
118
119
120
121
122
123
124
125
126
127
128
129
130
131
132
133
134
135
136
137
138
139
140
141
142
143
144
145
146
147
148
149
150
151
152
153
154
155
156
157
158
159
160
161
162
163
164
165
166
167
168
169
170
171
172
173
174
175
176
177
178
179
180
181
182
183
184
185
186
187
188
189
190
191
192
193
194
195
196
197
198
199
200

101

102

103

104

105

106

107

108

109

110

111

112

113

114

115

116

117

118

119

120

121

122

123

124

125

1637

30173

